DE
VITA SOPHOCLIS POETAE.

COMMENTATIO

AB

AMPLISSIMO ORDINE PHILOSOPHORUM IN ACADEMIA BORUSSICA RHENANA PRAEMIO ORNATA.

SCRIPSIT

FERDINANDUS SCHULTZ
DR. PHIL.

BEROLINI,
APUD H. A. W. LOGIER.
MDCCCXXXVI.

VIRO

CELEBERRIMO ATQUE ORNATISSIMO

FRANCISCO WUELLNERO

DOCTORI PHILOSOPHIAE ET GYMNASII DUESSELDORPIENSIS DIRECTORI

PRAECEPTORI SUO DILECTISSIMO

HUNC LIBELLUM PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

SCRIPTOR.

Tuum nomen, Vir praestantissime, huic libello inscribens fere vereor, ne magis eum ornaverim, quam pro tenuitate scriptionis aequum iudicabitur. Nam exile admodum ac parvum esse hoc monumentum, si quis Tuam eruditionem spectat, bene scio. Est autem unicum, quod ego offerre possim: cui si de-

est Tui nominis dignitas, non desunt saltem discipuli pia vota. Itaque oro Te, ut libellum benigne excipias; et quum etiam puer errati veniam haud raro a Te impetraverim, confido, Te nunc eadem cum comitate correcturum potius, quam vituperaturum, quae iuvenis parum recte commiserim. Vale.

Berolini, mense Ianuario MDCCCXXXVI.

DE
VITA SOPHOCLIS POETAE.

I.

Sophoclis tragici quum iam antiquissimis temporibus maxima gloria esset, factum est, ut universa Graecorum eruditione ad cognitionem totius literarum ambitus referri incipiente multi scriptores exsisterent, qui et alia multa ad illustrandam tragoediam conscriberent et imprimis de vita Sophoclis pro eius gravitate exponerent. Quorum omnium libri temporum invidia nobis erepti sunt, neque exstant nisi duae commentationes ex illis excerptae, Suidae altera, altera scriptoris, cuius nomen nobis ignotum est. Suidas, cuius tota fides et auctoritas pendet ex libris, quos ante oculos habuit, in scribenda Sophoclis vita parum accuratis videtur usus esse, utpote qui tam pauca et incerta, quam commista cum veris falsa narraverit. Ignoti vitae scriptoris explicatior commentatio est, et quamvis interdum minime accurata atque adeo falsissima sit, ita ut non iniuria ex pannis consarcinatam viri docti dixerint, accepta tamen nobis omnibus, quum desint meliora. Etiam hanc laudem scriptor prae Suida meritus est, quod quos potissimum auctores

sequutus sit suo quemque loco indicavit. Ex qua re ut aliquid in usum nostrum convertere possimus, illorum nomina nobis recensenda sunt, unde quae uniuscuiusque auctoritas sit cognoscamus.

Primus igitur Aristoxenus est, Mnesiae filius, Tarentinus, propter scriptorum multitudinem et varietatem nominatus πολυγράφος, quem etiam libros περὶ τραγῳδοποιῶν [1]) et ἱστορικὰ ὑπομνήματα [2]) scripsisse accepimus. In quibus libris multa ad Sophoclem eiusque vitam pertinuisse vix est, quod possit in dubium vocari; et quae de Sophoclis patre ab eo disputata esse dicuntur, certo ad illos referenda sunt. Exstant eius duo libelli musici; atque in his rebus praecipua quaedam viri fama fuit. Etiam in tali quodam libro Sophoclis mentionem ab eo factam esse ex postremis biographi verbis videtur apparere: quibuscum bene concinunt, qui eundem critica quadam arte in tragoedias reique metricae originem inquisivisse tradunt. [3]) Huius igitur maxima auctoritas est quum propter doctrinae amplitudinem, tum quod haud ita longe a Sophoclis temporibus remotus atque etiam per complures annos ipsius Aristotelis discipulus fuit: a quo quae in his rebus vera et cognita essent, optime doceri poterat. Aristoxeni aequalis Hieronymus Rhodius erat, doctus Peripateticus, ut ait Cicero, [4]) cuius τὰ σποϱά-

---

1) Ammon. s. v. ῥύεσθαι.
2) Diog. Laert. IX. 40.
3) Diog. Laert. V. 92. VIII. 14.
4) de fin. V. 5.

δην ὑπομνήματα saepius Sophoclis mentionem fecerunt. Scripsit quoque libros περὶ ποιητῶν, quorum alter περὶ τραγῳδοποιῶν videtur egisse. [5]) Eodem tempore vixit etiam Neanthes Cycicenus, rhetor, qui in libro περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν complura de Sophocle narravit, [6]) Fuit autem discipulus Philisci Milesii, qui Isocratem audiverat. [7]) Strictius ad ipsam tragoediam pertinet Carystius Pergamenus, cuius διδασκαλίαι sive rectius libri περὶ διδασκαλιῶν [8]) ut ad illustrandam hanc rem de industria conscripti ita procul dubio accuratissimi fuerunt. Tempore aliquanto magis remotus est Ister, Menandri filius, Cyrenaeus, Callimachi δοῦλος καὶ γνώριμος, quem et alia quaedam et ἱστορίας scripsisse tradunt. [9]) Denique etiam Satyrus commemoratur, philosophus Peripateticus, qui praeter philosophicos quosdam libros etiam vitas illustrium virorum enarravit. [10])

Hos igitur scriptor vitae auctores laudavit. Sed iisdem temporibus alii multi, iidem in his rebus maxima auctoritate digni, de vita Sophoclis quaedam tradiderunt: ex quibus praeter ipsum Aristotelem laudandi imprimis sunt eius discipulus, Dicaearchus Messenius, [11]) et Aristophanes Byzan-

---

5) Cf. Zenob. cent. II. prov. 55. alibi.

6) Cf. Steph. Byz. s. v. Κραστός. Diog. Laert. I. 99. III. 25. alibi.

7) Cf. Vossius de histt. Gr. I. 15. p. 98.

8) Cf. Athen. VI. 235. e. Boeckh. Corp. Inscriptt. I. p. 350.

9) Suid. v. Ἴστρος. Diog. Laert. II. 59.

10) Cf. Jonsius de scriptt. hist. philos. II. c. 3. §. 6.

11) Cf. Voss. I. 9. p. 46. sqq. Naeke Mus. Philol. Rhen.

tius, quos suo quemque loco citabimus. Quorum omnium libri de his rebus quum maximam partem perditi sint, ad accurate scribendam Sophoclis vitam nihil tam necessarium est, quam undique ex scriptoribus Graecis atque Romanis colligere, quae hic illic in eorum operibus de ipso narrata reperimus: quorum quidem ad corrigendos partim Suidae auctorisque vitae errores, partim ad supplendas et explicandas narrationes utilissimus usus est.

Ex recentioribus, qui et in ipsam Sophoclis vitam inquisiverunt et eius cognoscendae fontes ostenderunt, iam Lessingio imprimis nominandi esse visi sunt Lilius Gregorius Gyraldus, Joannes Meursius, Joannes Albertus Fabricius. Primus edidit historiam poëtarum Graecorum et Latinorum, insigni quidem cum diligentia, doctrina vero maiori, quam acumine compositam; quo factum est, ut diversissime de ea sit iudicatum, quum G. J. Vossius,[12] Morhofius,[13] alii, insigni laude illam affecerint, Josephus Scaliger autem Gyraldo infelicius neminem in poëtas inquisivisse dixerit.[14] Meursius in libro,[15] quem scripsit de Aeschylo et Sophocle et Euripide, pauca tantum, sed ea haud negligenter disputata, de vita Sophoclis exhibuit; longe maxima pars in fabularum titulis fragmentisque recen-

---

1832. I. 1. p. 45. Aristophanem scriptor vitae nominat in constituendo fabularum Sophoclearum numero.

12) De poëtt. Latt. p. 82.

13) Polyhist. I. VII. 2. 6.

14) In confut. fab. Burd. p. 82.

15) Est etiam in Gronov. thesaur. X.

VIRO

CELEBERRIMO ATQUE ORNATISSIMO

FRANCISCO WUELLNERO

DOCTORI PHILOSOPHIAE ET GYMNASII DUESSELDORPIENSIS DIRECTORI

PRAECEPTORI SUO DILECTISSIMO

HUNC LIBELLUM PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

SCRIPTOR.

tae; qui et ipse fidem Istro non habendam esse addit, quum praeter hunc apud nullum usquam scriptorem eiusmodi quiddam inveniri possit. Mihi vero quod ad Istri errorem attinet, auctori vitae ipsi nullo pacto credendum esse videtur, quum talis quaedam opinio et a tota antiquitate alienissima sit, et imprimis Alexandriae in doctissimorum grammaticorum commercio oriri omnino nequierit: nedum ab ipso Istro, Callimachi discipulo, haud spernenda inter eos doctrina, tam distincte prolata sit. Ipsius igitur biographi error est; qui quemadmodum ortus sit neque certo explicatum est, neque unquam, credo, explicabitur: multi enim ad eum aditus. Coniecturis quidem plures indulserunt; in quibus Lessingius, Istri errorem esse ratus, laudato Strabonis loco, [18]) ubi Phlius ad montem Coelossam sita esse dicitur, an forte (alicubi apud alium scriptorem, non hercle apud Strabonem) legerit Ister Κοιλωσσῆθεν pro Κολωνῆθεν, et hac re in errorem inciderit suspicatur: satis ingeniosum istud quidem, sed tamen improbandum. Langius [19]) Sophoclem τὸ ἀνέκαθεν Phliasium a Phliasiis civitate donatum fuisse ab Istro significatum putat: quod neque constat an factum sit, neque si constaret planam rem redderet. Equidem potius crediderim, Istrum tragoediam Phliunte vel ex Peloponneso oriundam dixisse, quae etiam aliorum eiusdem tem-

---

18) L. VIII. 381. p. 586. Almelov.
19) C. I. n. 11.

poris opinio fuit [20]), in eaque narratione Sophoclis mentionem fecisse: quibus parum intellectis vitae scriptor in errorem istum inciderit. Quod licet fieri potuerit, tamen ipse ei sententiae iam non multum tribuo, praesertim quum verisimilius coniicere mihi videar, nomina Σοφοκλῆς et Διοκλῆς confusa esse. Suid. s. v. Διοκλῆς, Ἀθηναῖος ἢ Φλιάσιος, ἀρχαιὸς κωμικός κ. λ. Forsitan igitur Ister Dioclem non Atheniensem, sed Phliasium esse dixerat, et pro Diocle nescio quo errore alicubi Sophocles scriptus erat. Nomina enim facillime confundi potuisse quum ipsa eorum similitudine satis probetur, tum egregie eo evincitur, quod solus Suidas [21]) Dioclis fabulam Thyesten commemorat, atque adeo Thyesten alterum; quam quum Sophoclis tragoediam fuisse sciamus, eandem bis editam; vix videtur dubium esse, quin Suidas in nominibus erraverit et ad Dioclem rettulerit, quae ad Sophoclem pertinerent. Itaque ex hac nominum confusione inauditum illud biographi commentum fluxisse arbitror. Nullo enim modo facere possum, ut cum Jacobsio aliisque multis consentiam, qui Istrum non satis perspectis, quae leguntur in epigrammate Dioscoridis (cf. c. XV.) ὅς με τὸν ἐκ Φλιοῦντος κ. λ., ipsum tam insigne vitium commisisse statuunt, ut Sophoclem ibi intelligendum putaverit; et quamvis vehementer me moverit ipsius Welckeri [22]) assensus, tamen semper,

---

20) Cf. Arist. poët. III. p. 6. ed. Graefh. Jacobs ad Antholog. VII. p. 395.

21) Cf. Meineke quaestt. scen. II. p. 57.

22) De dramat. Satyr. p. 236. n. 171.

opinor, iniquum erit, tam inauditum errorem Istro imponere, perpetuo cum doctissimis grammaticis versato et ipsi procul dubio literatissimo homini, cuius complures libri exstiterunt non negligenter scripti et a veteribus saepe laudati. Quid quod idem vir non solum in Sophoclis vitam inquisivit, sed etiam ipsum Colonum [23]) descripsit? quod potissimum in adumbranda Sophoclis vita factum esse quisque concedet. Atque ista sententia minime iam verisimilis tibi videbitur, si cogitaveris, ipsum illud epigramma non ab antiquo quodam scriptore profectum esse, sed a Dioscoride, quem Alexandriae versatum et ipsius Istri fere aequalem fuisse inter omnes convenit. Sophoclem Atheniensem esse Istro diu cognitum fuit, antequam Dioscoridis illos versus legit: nedum ex ipsis ad poëtam rettulerit, quae ad eum non referenda esse vel is intelligere debet, qui vix unum diem cum Graeca lingua versatus est.

Itaque Athenas Sophoclis patriam esse quum uno ore a veteribus proditum sit, disertius etiam cuiusnam δήμου ipse fuerit inquirendum foret, nisi hoc quoque omnium testimoniorum consensu confirmatum esset. [24]) Fuit autem Colonensis (non Colonites vel Coloniates, qui est error schol. ad Oed. Col. v. 62. et ex eo Langii p. 6.) sive ex pago Colono Equestri; quem sic nominatum esse dicunt,

---

23) Cf. schol. ad Oed. Col. v. 58. alibi.

24) Vit. Soph.; Suid. v. Σοφοκλ.; Marm. Par. I. 72.; arg. I. Oed. Col.; Cic. de fin. V. I.

ut discerneretur ab alio Colono, qui forensis vocitatus est. Hic vero non δῆμος fuit,[25]) sed locus editus propter delubrum Eurysacis vel rectius forsitan Aiacis εὐρυσάκους[26]) et Vulcani[27]); quo convenire solebant, qui ad varios labores mercede conducendos se praeberent, idcirco a loco Κολωνῖται nominati; in Colono Equestri conciones populi habebantur.[28]) Qui quum a natura multimodis ornatus fuisse videatur,[29]) eo etiam insignis fuit, quod patriorum apud Athenienses deorum ibi quasi domicilium erat, imprimis Neptuni atque Minervae Equestris.[30]) Ab ipso Neptuno Equestris nomen loco inditum esse facile aliquis coniiceret,[31]) nisi ab equite Colono, heroe antiquo, nomen ortum esse accepissemus.[32]) Ibidem vero etiam Pirithoi atque Thesei, Oedipodis atque Adrasti, ac deinde Promethei sacra et lucus Furiarum fuerunt;[33]) ita ut locus longe celeberrimus esset.

---

25) Corsin. Fastt. Att. et Boeckh. Corp. Inscript. I. n. 172. not. ad lin. 48. p. 309.

26) Arg. III. Oed. Col. ed. Thiersch. actt. phil. Mon. I. 2. p. 323. n. 7.

27) Harpocrat. v. Κολωνῖται.

28) Thucyd. VIII. 67.

29) Soph. Oed. Col. v. 15. sqq. 668. sqq. ibq. schol.

30) Paus. I. 30. 4. arg. II. Oed. Col. Praeterea locus commemoratur Polluc. VII. 132. Suid. s. v. Κολωνός. schol. ad Eurip. Phoeniss. v. 1701. De utroque Colono scripserat praeter Diodorum (Dionysium?) Perihegeten Philochorus in tertio libro Atthidis cf. Harpocr. l. l.

31) Fecit hoc, qui scripsit arg. II. Oed. Col.

32) Cf. Oed. Col. v. 58. sqq.

33) Paus. l. l.; arg. II. Oed. Col.; Oed. Col. v. 39. Apollod. bibl. III. 5.

Pagi vero Attici quum partes essent φυλαὶ sive tribuum, quarum eo tempore decem fuisse numerum constat; cuiusnam tribus Colonus fuerit quaerendum est. Hippothoontidi eum annumerandum esse suspicatus est Lessingius, [34]) atque hoc quidem se non sine causa facere dixit; quae tandem qualis fuisse potuerit quamvis data opera nullam invenio, nisi eam forsitan, quod Sophoclis eiusque maiorum sepulcra Deceliae in Hippothoontide tribu fuisse putavit: quae falsa opinio est. Atque ipsi quidem difficillimum fuit, quod nunc nobis admodum facile est ad constituendum. Fuit igitur Colonus aut Aegeidis tribus, aut Antiochidis: quarum utrique antiquis inscriptionibus tribuitur. [35]) Boeckhius antiquiori inscriptioni, ut in hac re omnino par est, maiorem fidem habens Sophoclis tempore Coloneuses Antiochidis tribus fuisse statuit; neque est, quod quisquam adversetur.

His igitur constitutis situm loci et quantum ille spatium ab urbe remotus fuerit cognovisse iuvabit. Alluebatur a Cephisso flumine, [36]) quod occidentalem Athenarum partem tangens in Phalericum sinum demittebatur. [37]) Haud ita longe afuit Academia, locus Platonis ambulationibus nobilissimus. [38]). Eam quum Athenis veniens petiisset, Co-

34) Vit. Soph.

35) Cf. Boeckh. Corp. Inscriptt. n. 115. 172. 183. Ind. lect. 1825 — 26. p. 4.

36) Oed. Col. v. 688.

37) Strabo IX. 24. p. 400.

38) Paus. I. 30. 4.

lonum se animadvertisse et ad eum conversum fuisse Q. Cicero dicit. [39]) Idcirco quum Academia a Dipylo, Athenarum porta, sex stadia abesse dicatur, [40]) Lessingius [41]) cum Meursio inter Academiam et urbem situm fuisse Colonum statuens apud Thucydidem, [42]) qui locum decem stadia remotum fuisse dicit, pro δέκα καὶ cet. legendum esse δ'καὶ arbitratur; subtilius istud, quam verius. Iam pridem Meursii disputatio improbata erat; [43]) nuper vero Reisigius rem accuratius tractans ex ipsa Sophoclis fabula explicare studuit. [44]) Etenim non bene cum illa opinione conciliari dicit, quod duobus locis ibi [45]) dictum sit, urbem a Colono longe abesse: quod quum Oedipum spectans etiam de spatio quatuor stadiorum quivis dicere potuerit, non potuit nuntii peregrinantiumque rationem habens. Et ne Ciceronis quidem ille locus inter Academiam et urbem situm fuisse Colonum evincit: qui quum euntis oculos ad se converterit, eos avertisse credendus est a via recta et a locis proximis; ita ut in alterutra parte ultra Academiam eum situm fuisse efficiatur. Ac non inter hanc et urbem fuisse locum Pausaniae descriptione demonstratur, qui primum ad Academiam se venisse dicit, tum ad mo-

---

39) De fin. V. exord. 40) ibid.
41) De vit. Soph. p. 18. B.
42) Lib. VIII. 67.
43) Corsin. Fastt. Att. I. p. 206.
44) Comment. in Oed. Col. II. p. XXVII.
45) Oed. Col. v. 15. v. 304.

numentum Platonis, deinde ad turrim Timonis, denique ad Colonum. Accedit, quod, si quid ex nominibus iudicari licet, potius per Ἱππάδας πύλας, quam per Dipylum exiisse videntur, qui recta via Colonum petierunt; [46]) ita ut minime iam dubitandum sit, quin ex Thucydidis testimonio pagus revera decem stadia ab urbe remotus fuerit.

Patrem Sophocles habuit Sophillum [47]): in qua re omnes consentiunt, nisi quod a quibusdam nomen liquida simplici scriptum est [48]). Priorem formam quum metrum postulet in epigrammate antiquo, [49]) ubi etiam tam in titulo, quam in versu λλ scriptum est, [50]) pro vera habendam esse monuit Boeckhius, [51]), quum nomen ὑποκοριστικὸν sit a primitivo σόφος ex analogia vocabulorum Χοίριλλος, Μύρτιλλος [52]). Sed cum hac sententia pugnare videtur

---

46) cf. Lange I. 3. Plut. opp. IX. p. 375. Reisk. Ersch. et Grub. Encycl. VI. p. 241.

47) Clem. Alex. protrept. p. 36. Heins. p. 48. Sylb. Marm. Par. l. 72. Tzetz. Chil. VI. 69.

48) auct. vit. Suid. Aelian. hist. anim. VII. 39.

49) Brunck. Anthol. I. p. 163. Anthol. Palat. VII. 21.

50) cf. Jacobs ad Anthol. Palat. III. p. 220. n. 22. p. 225. n. 36.

51) Corp. Inscr. vol. II. f. I. p. 320. Discernendus ab hoc est Σωφίλος, mediae comoediae poeta, circa Ol. CVIII. cf. Boeckh. oecon. Athen. II. p. 377. Meinek. quaestt. scen. III. p. 59 ibq. not.

52) cf. Matth. Gr. Gr. I. §. 102. 13. n. 3. Simplici litera λ scripta eiusmodi nomina παροξύτονα sunt, duplici προπαροξύτονα. Sic etiam scribitur Χοιρίλος, Τρωίλος. Cum Κύριλλος, Δόριλλος nomen confert Arcadius ap. Bast. ad Greg. Corinth. p. 581. Similia etiam sunt Θράσυλλος et Θρασύλος, Αἰσχύλος, Ἡδύλος, Χρεμύλος; deinde ποικίλος, alia.

Diodorus, [53]) Θεόφιλον Sophoclis patrem nominans: quam formam eo tantum, quod alius dialecti esset, a priori differre putavit Lessingius. Cuius errorem arguens Langius[54]) Σώφιλον potius, quam Σόφιλον virum nominandum fuisse dicit, sicut et alia nomina facta essent, atque etiam Σίσυφος dictum pro Θεόσοφος. Hoc ipsum vero falsum est, quum Σίσυφος nunquam Θεόσοφον significet, sed duplicata priori syllaba a σοφὸς ortum sit [55]). Itaque licet forma Σόφιλος non stricte ex analogia facta, ut Θεόφιλον et Σόφιλον minime idem esse recte iam Wesselingius ad Diod. l. l. monuerit, ipsam tamen a scriptore pro eadem atque alteram habitam esse arbitror.

Sophillus qualis et cuiusnam civium ordinis fuerit, et ab antiquioribus et a nostris dubitatum est: cuius dubitationis solum grammaticum, qui Sophoclis vitam scripsit, ut aliorum errorum auctorem esse censeo. Is neque τέκτονα vel χαλκέα, ut Aristoxenus, neque μαχαιροποιὸν τὴν ἐργασίαν, ut Ister dixisset, Sophillum fuisse contendit, sed aluisse servos ferrarios et aerarios. Primum quidem homo satis inepte Aristoxeni sententiam ab Istro accuratissime distinguendam putavit, quum tamen res prorsus eadem; tum vero ea illorum auctoritas est, quam de suo aliud quiddam statuens ipse biographus minime possit labefactare; denique idem ab illis intellectum esse atque quod ipse profert, unusquisque videt: ita

---

53) lib. XIII. 103.

54) vit. Soph. p. 7.

55) cf. Welck. Aesch. trilog. p. 551. n. 853. ad Schwenck. mythol. p. 321 sq.

ut de re nihil dubitandum sit. Ac tamen scriptor dubitationis quasi causam praebet, quam Lessingius amplexus est. Neque enim aequum fuisse putant, natum ex eo patre cum Pericle et Thucydide ducem creatum esse, neque a poetis comicis non perstrictum fore, quibus obiurgandi feriendique nihil tam facile ansam praebuisset, quam originis locus humilis atque obscurus: quo accederet, ut Plinius[56]) Sophoclem principe loco Athenis genitum esse dixisset. Lessingius praecipue non satis considerato loco Pseudo-Plutarchi[57]) in errorem inductus est: ubi quum Theodorus, Isocratis pater, τῶν μετρίων πολιτῶν fuisse dicatur, θεράποντας αὐλοποιοὺς κεκτημένος; vir praestantissimus nimis celeriter omnes, qui operis conductis opificium quoddam exercuissent, non primi, sed medii cuiusdam civium ordinis fuisse statuit. Verum eodem loco Theodorus ille εὐπορήσας ἀπὸ τούτων, ὡς καὶ χορηγῆσαι καὶ παιδεῦσαι τοὺς υἱοὺς dicitur; unde etiam ipsum τῶν πεντακοσιομεδίμνων fuisse colligendum est.[58]) Atque omnino quum τιμοκρατία esset Athenis, nobilitas maximam partem ex re familiari pendebat; quapropter etiam Demosthenes, oratoris pater, licet δούλους μαχαιροποιοὺς aleret, tamen τῶν καλῶν καὶ ἀγαθῶν ordini accensebatur:[59]) quod bene monuit Langius. Quid igitur obstat, quominus Sophillum, ipsum quidem pro virili parte rei

---

56) N. H. XXXVII, 2. 1.

57) Vit. Isocr. exord.

58) cf. Boeckh. oecon. Athen. I. p. 487. Wachsmuth. antiqq. Gr. I. 2. p. 133.

59) Plut. vit. Demosth. c. 4.

publicae adiutorem, per servos tantam pecuniam sibi parasse statuamus, ut in ordinem eorum, quibus quingenta quotannis medimna redibant, aut equitum receptus sit? [60]) Quapropter Plinius suo iure Sophoclem principe loco natum dixit.

Ad cetera quod attinet, quanquam hac ipsa disputatione ad nihilum redacta sunt, addere iuvat, etiam aliis multis originem non obstitisse, quominus summos honores capesserent; in quibus Themistocles νόθος πρὸς μητρός, [61]), Cleo, Iphicrates, sutoris filius, (Suid.) alii. Atque insuper satis constat, Sophoclem non propter nobilitatem generis, sed propter ingenii praestantiam ducem creatum esse. Quod vero a poetis comicis non perstrictus est, hoc, opinor, nemini mirum videbitur, siquidem cogitaverit, ex omnibus comoediis comoediarumque fragmentis apparere, Sophoclem ipsis dilectissimum maximaque admiratione affectum fuisse: quem non perstringi par erat. Inde igitur nemini dubitatio oriri debuit: quam quum semel concepisset Lessingius mittere non potuit, magis etiam impeditus ille ingeniosa quadam rerum complexione, qua errasse Istrum et Aristoxenum, et idcirco pro fabro Sophillum habuisse coniecit, quod in Colono habitasset; quum in Colono forensi opificum vel potius operarum quasi domicilium fuisse traditum sit. Quod si concesseris, vide ne nimium de eruditis illis scriptoribus detrahas.

---

60) Vocabulum μέτριος quid significet vid. Boeckh. ad Plat. legg. p. 189. Stallbaum. ad Phileb. p. 90. § 61. alibi.

61) Plut. vit. Them. exord.

III.

SOPHOCLES QUANDO NATUS SIT.

Venio ad rem admodum impeditam, in qua constituenda quod alii effecisse sibi visi sunt, ab aliis prorsus reiectum est. Versatur ea in quaestione, quo anno Sophocles natus sit. De quo quum viri docti vehementer inter se dissentiant, ne cuius auctoritate nimis moveamur, quotcunque argumenta ad sententiam aliquam stabiliendam a veteribus tradita exstant, accurate nobis examinanda sunt. Quorum alia directe et explicate rem constituunt, alia computatione demum instituta eius inveniendae facultatem suppeditant; ita ut illa quidem multo maioris esse gravitatis, haec minoris appareat. Prioris generis imprimis est testimonium auctoris vitae, qui Aristoxeno vel Istro, quod possis coniicere, aut quibuscunque aliis auctoribus Sophoclem natum esse dicit archonte Athenis Philippo, anno altero Olympiadis septuagesimae primae. Eandem sententiam totidem verbis expressam in descript. Olympiadum [62]) ad Ol. LXXI. laudavit Lessingius, ibidem additum esse monens, a quibusdam poetam natum dici Ol. LXXIII: quorum nos praeter Suidam novimus ne-

62) ΟΛ. ΟΑ. ἔτει β'. Φίλιππος. Σοφοκλῆς ὁ τραγῳδοποιὸς ἐγεννήθη. ΟΛ. ΟΓ. Σοφοκλῆς ἐγεννήθη κατά τινας. cf. Scalig. thes. temp. II. p. 322. Sed tamen quum haec Olympiadum descriptio non antiqui cuiusdam auctoris sit, in quo nunc omnes consentiunt, verum ipsius Scaligeri; vix quidquam ea re firmari potest.

minem. Falsissimam esse hanc definitionem inter omnes constat; ac si quid tribuendum coniecturae a multis propositae, qua Suidam aut eum, ex quo iste hausit, pro Ol. ο' γ' (sc. ἔτει) scripsisse Ol. ξα' statuunt; [63]) quum alterum haud ita longe a vero absit; in sequentibus apud eundem ὥστε πρεσβύτερον εἶναι Σωκράτους ἔτη ιζ' numerorum notae in κζ' mutandae erunt, quum tot fere annis Sophocles Socrate natu maior fuerit.

Jam quae restant temporis argumenta computatione efficiuntur. Marmoris Parii auctor duobus locis Sophoclis aetatem constituit, dicens primum lin. 72. ἀφ' οὗ Σοφοκλῆς ὁ Σοφίλλου ὁ ἐκ Κολωνοῦ ἐνίκησε τραγῳδίᾳ ἐτῶν ὢν ΔΔΓΙΙΙ, ἔτη ΗΗΓΙ, ἄρχοντος Ἀθήνησι Ἀψηφίονος: qui quidem archon fuit Olymp. LXXVII. 4. [64]). Quo anno si Sophocles duodetriginta annorum fuerit, natus erit Ol. LXX. 4. Deinde idem scriptor lin. 78. ἀφ' οὗ Σοφοκλῆς ὁ ποιητὴς βιώσας ἔτη ΗΔΔΔΔΙ ἐτελεύτησε, καὶ Κῦρος ἀνέβη, ἔτη ΗΔΔΔΔΙ, ἄρχοντος Ἀθήνησι Καλλίου τοῦ προτέρου [65]). Callias archon erat Ol. XCIII. 3.; [66]); quo si Sophocles unius et nonaginta annorum fuerit, iterum efficitur natum fuisse Ol. LXX. 4. Atque sic statuerunt plurimi [67]), qui

---

63) cf. Wex. ad Soph. Antig. I. p. 29. not. Latine scriptis numeris facilius etiam errari potuit, dum Ol. LXXIII legeretur pro Ol. LXXI. II: quae ratio cum auctore vitae magis convenit.

64) Diog. Laert. II. 44.

65) leg. δευτέρου cf. Boeckh. ad h. l. Corp. Inscr. vol. II. p. 302 sqq.

66) cf. quae de Sophoclis morte disputabimus c. XIV.

67) Hermann. opusc. II. p. 161. Wex. l. l. Lange. c. III. alii multi.

in hanc rem inquisiverunt, et, quum marmoris auctoritatem prae omnibus magni aestimandam esse censerent, hanc rationem unice veram esse contenderunt. Necessarium autem erat, antequam tam certi sibi viderentur totam marmoris rationem accuratius considerasse: qua tandem consideratione ad rem adhibita istam sententiam tamen labefactatum iri arbitror. Auctor marmoris Parii enim chronicon istud scripsit archonte Athenis Diogneto, a quo retro numeratis annis tempora rerum constituit. Diogneti annus sine dubio fuit Ol. CXXIX. 1. [68]), quum ad hunc omnes res quo quaeque scriptoris aetati propiores fuerunt, inde ab Ol. XCV. 2. relatae sint. In antiquioribus autem numeris fere omnibus ita erratum est, ut uno anno auctiores sint, quam rerum ratio postulat [69]): ita ut, si verum quaeris, ab ipsius numero unum annum detrahere debeas. Sic pugnam Plataeensem, archonte Xanthippo commissam, computatis numeris invenimus a marmoris auctore [70]) Olympiadis septuagesimae quintae anno primo tributam esse; quam altero demum anno evenisse certum est [71]). Atque adeo circa eadem tempora in quibusdam numeris etiam longius recessum est, quum secundum marmoris indicium Euripides natus esse debeat Ol. LXXIII. 4. [72]); quem septuagesimae quintae de-

---

68) cf. Ideler. chronol. I. p. 379.
69) id. ibid. p. 382.
70) lin. 52.
71) cf. Ideler. l. l.
72) cf. lin. 65. 75.

num Olympiadis anno primo progenitum esse scimus [73]. Quibus bene reputatis etiamsi nulla alia ratione moneremur, tamen consentaneum foret concludere, quod a scriptore Parii chronici ad Olymp. LXX. 4. referretur, id potius ad Ol. LXXI. 1. vel 2. pertinere. In quibus vero numeris archon etiam nominatur, ii plerumque aliorum consensu certi redduntur: quo fit, ut de primi certaminis mortisque tempore a marmore indicato minus dubitandum sit.

„Sophoclem circa nonagesimum aetatis annum mortem occubuisse consentiens fere cum marmore Diodorus [74] tradit: ita ut hoc certissimum sit neque possit labefactari Luciani auctoritate [75], qui nonaginta quinque annos eum vixisse dicit: nisi forte pro πέντε καὶ ἐννενήκοντα legendum ἕν τε καὶ ἐννενήκοντα credamus: quae dicendi formula quum non inusitata sit [76], coniectura nos forsitan non fallit. Nonaginta annis Olympiades viginti duae, anni duo conficiuntur; quibus ab Ol. XCIII. 3. deductis Sophoclem natum esse invenimus Ol. LXXI. 1., vel, quum mortem in sextum mensem demum Ol. XCIII. 3. incidere videbimus, ineunte anno altero Olympiadis septuagesimae primae.

Quae quum ita sint, neque alia testimonia di-

---

73) cf. Diog. Laert. II. 45. Plut. symp. VIII. 1. p. 717. c. Hesych. Suid. v. Εὐρῖπ. vitae Eurip. omnes.

74) l. XIII. 103.

75) Macrob. c. 24. t. III. p. 226.

76) Pind. Ol. I. 79. (Boeckh) cf. Hand. de part. τέ et καί pag. 21.

certis numeris expressa exstent, dubitatione omni remota tragicum archonte Philippo Ol. LXXI. 2. genitum esse necessario statuendum est. Ne vero quidquam neglexisse videamur, quaecunque alia cuiusdam momenti ad rem esse possint perlustrabimus. Imprimis huc pertinet, quod in vita et iisdem fere verbis, sed aliquanto magis depravatum in antiquo scholio [77]) legitur, Sophoclem Aeschylo natu minorem fuisse annis septemdecim, Euripide maiorem viginti quatuor. Emendandos esse numeros omnes [78]) viderunt, atque ita fecerunt, ut notas transponentes Aeschylum Sophocle viginti quatuor annis maiorem, Euripidem septemdecim annis minorem statuerent: quo facto si cum quibusdam (quanquam falsis illis) [79]) Aeschylum Ol. LXIV. 4. natum esse facimus, Sophoclis annus natalis erit Ol. LXX. 4.; quem etiam comparatio cum Euripide suadet. Sed etiamsi certa esset illa transpositio, vides tamen, nihil hanc rationem ad infirmandam ceterorum argumentorum auctoritatem valere. Est autem non certa: etenim prorsus eadem vel maior adeo verisimilitudinis species est, si viginti septem et quatuordecim intelligimus. Namque quum in scholio illo legatur Αἰσχύλου μὲν ἔτεσιν ἑπτὰ νεώτερος, Εὐριπίδου δὲ πρεσβύτερος κδ', vocem ἑπτὰ sede sua

77) ad Aristoph. Rann. v. 76.

78) Primi Lessingius vit. Soph. p. 32. D. Musgrav. chronol. scen. ante ed. Eurip. t. I. Postea alii multi.

79) cf. vit. Aesch. Herm. opusc. II. p. 159. sqq. Wex. ad Soph. Antig. I. p. 32. 3. Lange vit. Aesch. progr. Gymn. Frid. Berol. 1832. p. 4.

firmam esse apparet; ante eam autem excidisse εἴκοσιν propter similitudinem cum voce ἔτεσιν: ita ut ad verum inveniendum nihil iam, nisi notae κζ′ in ιϑ′, mutandum sit: in quibus tamen scribendis et rescribendis facilius fuit errare, quam in verbis [80]. Aeschylum igitur si viginti septem annis Sophocle natu maiorem, Euripidem quatuordecim annis minorem esse statuimus; utraque ratio incertum relinquit, utrum ipse Olympiadis septuagesimae primae anno altero, an tertio Sophocles natus sit: quorum ut alterum sine dubitatione praeferamus, suadet comparatio cum ceteris argumentis.

Exstat veteris epigrammatis fragmentum [81], ipsi Sophocli tributum, quo poëta se aetate quinquaginta quinque annorum Herodoto carmen quoddam dicasse profitetur. Quantum ex rerum coniunctione iudicari licet, pertinet istud ad Ol. LXXXIV. 4. [82]. Eodem tempore Sophocles ab Atheniensibus dux creatus sexagesimum nonum aut quintum [83]) aetatis annum egisse a vitae scriptore traditur. Falsissimos esse hos numeros apertum est; neque facile ulla medicina adhibebitur, quae non nimis vehemens putari possit. Satis facilem amplecti idcirco mihi videor, prorsus eiiciendas esse numerorum notas, et pro αὐτὸν ξϑ′ ἐτῶν, notis ex fine vo-

---

80) Idem video iam dudum coniecisse Boeckhium de trag. Gr. p. 49.

81) Plutarch. Moral. p. 785. b.

82) Dicemus de eo c. VI.

83) In plurimis libris legitur ξϑ′, in quibusdam ξε′; quapropter haud verisimilis videtur coniectura, conversis notis legendum ςζ′ aut ες′.

vis αὐτὸν et initio ἐπῶν compositio, legendum mihi ἐπ᾽ ἐπῶν cuniiciens 84). Quod si cui placebit, res ad liquidum perducta est: quum etiam aliorum omnium memoria Sophocles eo tempore quinquagintá quinque annos natus fuerit.

Postremo loco, quod ad rem nostram doctrinae ullo momento est, commemorandum nobis restat, Sophoclem pugna ad Salamina feliciter pugnata electum esse, qui sive nudus sive vestitus cum cithara circa tropaea saltaret puerorumque choros duceret 85): unde eo tempore ipsum nondum iuvenem, sed fere tredecim vel sedecim annorum fuisse patet: quam aetatem iam aliquantulum excessisset, quem Ol. LXX. 4. natum statueres. Accedit, quod Plato, Atheniensium morem forsitan respiciens, per triennium pueros musicam potissimum docendos esse dicit inde a decimo tertio aetatis anno 86): quod egregie ad sententiam nostram firmandam converti potest, quum Sophocles, Ol. LXXI. 2. natus, tempore pugnae Salaminiae revera decimum quintum aetatis annum egerit.

Itaque quotquot argumenta ad constituendam hanc rem adhiberi possunt, ea bene adhibita ad unam omnia memoriam antiquitus diserte traditam verissimam esse ostendunt: in qua tamen ex recentioribus cum Lessingio fere unicus Boeckhius 87)

84) Iam vereor, ne nimis audacter fecisse videar: quod quaeso te, ne libidini vel temeritati tribuere velis.

85) auct. vit.; Athen. I. p. 20. m.

86) de legg. VII. p. 809. sq.

87) de trg. Gr. p. 102.; de Antig. p. 56. in Actt. Acad. Reg. Berol. 1824. Corp. Inscr. vol. II. f. 1. p. 320.

perstitit. Non enim hanc laudem meritus esse Passowius videtur, quem eo nomine parum recte Langius vituperavit. Namque, licet ille [88]) aliquando recte Groddeckium Ol. LXXI. 2. statuere dixerit, id tamen non fecit nisi memoria lapsus, quum et ibidem marmor Parium sequendum esse censeat, et Ol. LXX. 4. pro natali Sophoclis anno habendum diserte alibi professus sit [89]).

IV.

SOPHOCLIS EDUCATIO.

Bene educatus est Sophocles, ut decet liberum atque ingenuum Atheniensem. Quam educationem constitisse notum est in exercenda arte grammatica, musica, gymnica. Musicae et gymnicae artis iam puerulus praeceptorem habuit Lamprum, cuius ingens eo tempore inter musicos fama fuit [90]). Quem qui etiam Socratis magistrum fuisse crediderunt [91]), eos admodum errare iam a Lessingio monitum. Fabricius parum perspecto loco ex Platonis Menexeno [92]) illud effici primus putavit, quem secuti sunt Brunckius, alii. Temporum etiamsi nullam rationem habemus, quanquam haec ipsa illi sen-

88) in Jahn. annall. Philol. II. p. 154.

89) Compend. hist. litt. Gr. et Rom. p. 12.

90) auct. vit.; Athen. I. p. 20. m.; Plut. de mus. p. 685.; Corn. Nep. Epam. 2.

91) Remansit nihilominus ille error in ed. Lipsiae 1827. p. XVII.

92) p. 236. a.

tentiae prorsus officit, tamen apud Ciceronem [93]), alios, Socratis in musica praeceptorem Connum vocitatum esse diserte dictum reperimus. Atque, quod gravissimum est, ipse Platonis ille locus plane cum his congruit. Ibidem vero Lampri gloriae, quam magnam fuisse diximus, a Socrate multum detrahi videtur, dicente: ἀλλὰ καὶ ὅστις ἐμοῦ χεῖρον ἐπαιδεύθη, μουσικὴν μὲν ὑπὸ Λάμπρου παιδευθείς, ῥητορικὴν δὲ ὑπὸ Ἀντιφῶντος τοῦ Ῥαμνουσίου κ. λ.; quae verba vituperationem omnino non levem videntur continere. Sed iam Athenaeus [94]), nescio quo auctore, arguens Platonis obtrectationem falsasque criminationes, sic in Menexeno non solum Hippiam Eleum derideri dicit, sed etiam Antiphontem Rhamnusium et Lamprum musicum. Ac sane sicuti Antiphontem eadem obtrectatione a Socrate prehensum ab aliis scriptoribus [95]) iisque minime spernendis uti clarissimum et oratorem et rhetorem laudatum esse invenimus, sic ne Lampri quidem honorem illa Socratis vituperatio minuere poterit.

Praecipuo igitur hoc magistro discipulus dignissimum se praebuit. [96]) Etenim assidua exercitatione felicique corporis et animi natura mox eo pervenit, ut in certaminibus et musicis et gymnicis primus sodalium renunciatus corona publice ornaretur. Sic prae omnibus excellenti iam adole-

---

93) Epist. IX. 22. cf. epist. Socrat. 14. Maxim. Tyr. dissert. 38. Meineke quaestt. scen. II. p. 43. et quos laudat p. 44.

94) lib. II. p. 54. lib. XI. extr.

95) Thucyd. VIII. 68. Quintil. III. 1. 11. alii.

96) Cf. Eustath. ad Iliad. p. 381.

scentulo Sophocli eximius ille honor contigit, ut Persis Salaminia pugna fugatis propter praecipuam iuvenilis corporis dignitatem ad ducendos puerorum circa tropaea saltantium choros eligeretur: in qua solemnitate cithara ornatus fuit.[97] Nihil cum hac narratione pugnant aliorum scriptorum loci,[98] quibus Athenienses eo tempore relicta urbe liberos et uxores Troezena transportasse dicuntur, quum a pluribus etiam[99] Salaminem, a quibusdam[100] solam insulam refugium fuisse acceperimus. Atque etiam Euripides eodem die Salamine natus esse perhibetur.

Grammaticam artem, quacum coniuncta erat poëtarum lectio, memoriae exercitatio ediscendis carminibus et quae sunt generis eiusdem, quam, quam a quo doctus sit Sophocles nominatum invenimus neminem; certissimum tamen praeclarae eius in his rebus eruditionis argumentum ipsius scripta habemus: ex quibus quam bene et assidue cum Homero ceterisque poëtis versatus fuerit luculenter apparet. Sed apud auctorem vitae aliquid commemoratum est, quod huc pertinere arbitror. Dicit enim, Sophoclem apud Aeschylum tragoediam didicisse; quod quum Lessingius ineptum esse dixisset, multi dixerunt. Viri cuiusdam discipuli recte nominabantur, qui cum eo versantes de rerum ratione dispu-

---

97) Auct. vit.: Athen. I. p. 20. m.
98) Plut. vit. Themist. c. 10. p. 116.
99) Herod. VIII. c. 41. Corn. Nep. Themist. 2 extr.
100) Diod. Sic. IX. c. 13.

tabant, ipsique, quae erat provectioris aetatis dignitas, aliquanto maiorem auctoritatem tribuebant: in qua re quum tamen nihil insit, quod scriptoris vitae testimonio repugnet; Lessingius artem tragicam doceri non posse demonstrans rem perfecisse visus est. Fuerunt, 101) qui consentientes repeterent, paucas quasdam regulas tantum, ac vel has ipsas multo facilius ac melius, quam praeceptore adhibito, tragoediarum bene compositarum cognitione comprehendi posse. Quanquam hac via Sophocles, quo etiamnunc adolescente, eius generis nullum fere exemplum exsisteret, ea aetate vix quidquam sibi comparaverit. Mihi quidem quum haec ars nondum, ut ita dicam, vulgaris quaedam possessio esset, sed paucis cognita et ab ipsis originibus haud ita longe remota, nihil tam necessarium videtur, quam praeceptore usum eamque doctum esse, qui quod posset illo tempore Athenis in theatro proponi procreare vellet. Namque non solum ad internam fabulae compositionem, (haec enim doceri vix poterit), sed ad externam constructionem, et scenae apparatum illa ars pertinet: in qua qui non de industria praeceptori cuidam docendum se tradiderit vix ullum poetam tragicum 102) apud Graecos fuisse credo; nisi forte Thespin obieceris, de quo nota res. Dicunt autem cum hac narratione de Sophoclis disciplina pugnare, quod hic de Aeschylo di-

101) Vid. Lang. vit. Soph. c. 4. extr.

102) Idem de poëtis lyricis valet: quorum poësin non magis,

nisse a veteribus [103]) traditus sit, ὅτι εἰ καὶ τὰ δέοντα ποιῇ, ἀλλ' οὐκ εἰδώς γε: quae verba a discipulo praeceptori dicta esse minime aequum fuisset. Inde vero nihil sequeretur, nisi ut Sophocles forsitan dum apud Aeschylum in disciplina esset, hoc non dixisset: quod etiam sine hac causa facile crederemus, quum tale iudicium, nisi quis nimium sibi arrogaverit, ab ingenio perpolito profectum esse debeat. Eadem atque aliquanto etiam difficilior ratio inter Platonem et Aristotelem intercessit: quorum quamvis alter Platoni vehementissime et frequenter contradixerit, ita ut contra eum calces remittere dictus sit, quemadmodum pulli contra matrem; [104]) tamen eodem praeceptore usum non esse nemodum dicere conatus est. Ceterum ne Sophoclis quidem illa verba tam aliena et invidiose dicta esse postea videbimus; ac iam inde hoc concludi potest, quod cum ipsis consensisse Aeschylus videtur, a Baccho ad scribendas fabulas impulsum se esse dicens [105]). Exstat etiam alia narratio, postea commemoranda [106]), qua Sophocles Aeschylum gravius fere vituperasse traditur: cuius tamen ad hanc rem omnino nullum

---

quam tragicam, doceri posse notum est; et tamen Pindarum aliosque praeceptoribus eripere conati non sunt.

103) Athen. I. p. 22. b. X. p. 428. e. f. Stob. serm. XVII. Eustath. ad Odyss. Θ. p. 1598. aliis.

104) Cf. Diog. Laërt. V. 2. Ipse Plato hoc in Aristotelem dixisse perhibetur: Ἀριστοτέλης ἡμᾶς ἀπελάκτισε, καθάπερ τὰ πωλάρια γεννηθέντα τὴν μητέρα.

105) Cf. Paus. I. 14. 4.

106) Plut. de prof. in virt. t. VI. p. 294. Reisk.

momentum est. Praeterea Lessingius ad Euripidem eam pertinere, non ad Sophoclem, contendit, eique Welckerus assensus est: quamquam eos errasse suo loco demonstrabimus.[107]

V.

SOPHOCLIS PRIMA COMMISSIO.

Quo primum tempore Sophocles fabulas docere coeperit, id aliter ab aliis constituitur. Hieronymus Ol. LXXVII. anno primo, Eusebius[108]) anno secundo illud factum esse tradit. A quibus magis discedens scriptor chronici Parii[109]) poëtam primum certasse dicit ante suam ipsius aetatem anno ducentesimo sexto, archonte Athenis Apsephione. Ducentis sex annis Olympiades quinquaginta duae, anni duo conficiuntur: quibus ab Ol. CXXIX. 2. retro numeratis efficitur annus quartus Ol. LXXVII.; qui tertium statuerunt,[110]) non viderunt, ab Ol. CXXIX. 2., non 1. in efficienda hac re annos numerandos esse: quod supra monuimus. Cum hac ratione plane consentiens Apollodorus[111]) in libris chronicis Apsephionem Ol. LXXVII. 4. archontem fuisse tradidit, ἐπὶ Ἀ(φε)ψίωνος ἐν τῷ τετάρτῳ ἔτει τῆς ἑβδομηκοστῆς ἑβδομῆς Ὀλυμπιάδος. Itaque hoc testimonium,

---

107) Lessing. vit. Soph. p. 60. Welck. Aesch. trilog. p. 525. not. cf. c. XII.

108) Chron. ad h. annum, p. 338 ed. Maii et Zohrab.

109) Lin. 72.

110) Cf. Lang. vit. Soph. p. 10., et quos ille laudat.

111) Ap. Diog. Laert. II, 44. cf. IX. 41.

ut reliquis multo distinctius atque accuratius, ita iis praeferendum est. Ipsam vero dissensionem inter Eusebium et Hieronymum non ortam esse, nisi huius errore, facile credideris. Eusebium autem Olympiadum ratione tempus constituentem duobus annis longius recessisse, plane consentaneum est, et hoc ipsum ad firmandum annum a chronographo Pario indicatum inservit. Est enim hic proprius Eusebii aliorumque eius temporis chronographorum mos, ut singulas Olympiades duobus annis altius proferant, quam optimus et vulgaris canon ab Eratosthene constitutus postulat: [112]) ex quo et marmoris tempora et reliqua omnia, quae nos in his rebus pro compertis habemus, constituta sunt.

Ipsum vero illud certamen multis nominibus rebusque cum eo coniunctis adeo insigne factum est, ut etiam ex his annus primae commissionis effici possit. Plutarchus [113]) enim Cimonem, postquam Persas devicisset, ad quaerenda Thesei ossa, (quod pestilentia conflictatos Athenienses iusserat oraculum.) [114]) Scyro insula expugnata, magnifico ornatu Athenas illa deportasse narrat, ibique docente tum Sophocle, etiamnum iuvene, ad solemnes Bacchi libationes faciendas progressum in theatrum ab archonte Apsephione retentum esse cum collegis, ut iudicium de certamine poëtarum ferrent. Namque quum Sophocles, tum primum procedens,

---

112) Cf. Ideler. chron. II. 465. sqq.
113) Vit. Cim. c. 8.
114) Ex Aen. Gaz. Lessing. p. 81.

contra Aeschylum, cuius ea aetate iam maxima laus fuit, pugnasset, insignem fuisse spectatorum attentionem, factionesque ortas esse: ita ut archon certaminis iudices non iam sorte eligendos esse censuisset, sed illos decem duces, singulos ex singulis tribubus, ad sacramentum et iudicium adegisset. — In quibus quod ad tempus attinet, eo comprobantur, quae ipsi constituimus. Sunt autem alii loci, qui cum his pugnare videri possint. Primum enim ipsius Plutarchi alibi [115]) haec verba sunt: μετὰ δὲ τὰ Μηδικὰ Φαίδωνος ἄρχοντος μαντευομένοις τοῖς Ἀθηναίοις ἀνεῖλεν ἡ Πυθία τὰ Θησέως ὀστᾶ ἀναλαβεῖν κ. λ. Phaedon autem archon fuit Ol. LXXVI. 1.; [116]) ita ut, quod eo tempore datum esset oraculum, ei Athenienses interiectis demum septem annis obsequutos esse statuendum sit: de qua re, licet in ipsis Plutarchi verbis incerti aliquid insit, dubitari tamen non debet. Accedit autem, quod Diodorus [117]) anno quarto Ol. LXXVII., quem Apsephionis esse diximus, **Phaeonem** archontem fuisse refert: cuius nominis similitudo quosdam [118]) adeo movit, ut **Phaedonem** scribendum, eundemque atque apud Plutarchum intelligendum esse censerent. Idcirco ut hanc cum priori eiusdem sententia, qua Apsephionem archontem fuisse dixisset, conciliarent, ineunte anno archontem fuisse Phaedonem, cui mor-

115) Vit. Thes. c. 36.
116) Dion. Halic. ant. Rom. IX. 5. Diod. Sic. XI. 48.
117) Lib. XI. 63.
118) Cf. Dindorf. ad Diod. l. l.

tuo suffectus esset Apsephion, statuerunt.[119]) Qua coniectura concessa quamvis omnes loci satis expediantur, tamen quum duos eiusdem anni archontes eponymos fuisse exemplis firmari non possit, probabiliorem esse Boeckhii[120]) sententiam arbitror, qui apud Diodorum ex Ἀψη]φίων vocis initio abiecto Φαίων factum esse coniicit, praesertim quum idem nomen apud Plutarchum in Ἀφεψίων, apud Diogenem in Ἀψίων mutatum sit: quamquam non cum Bentleio[121]) etiam in altero Plutarchi loco Φαίδωνος emendatione egere arbitramur: quod nomen ad priorem, si licet dicere, eius magistratum satis apte referatur.

Difficultatis aliquid in eo esse Palmerius et Lessingius crediderunt, quod Plutarchus eo tempore Sophoclem ἔτι νέον fuisse dicit, quocum scriptor vitae Aeschyleae consentit. Etenim de aetate viginti quinque vel octo annorum illud non apte dictum, et idcirco a Plutarcho cum aliis Olympiadem LXXIII. Sophoclis natalem habitam putant. Quam difficultatem nullam esse monuit Boeckhius,[122]) νέον Sophoclem dictum esse demonstrans, quod et Aeschylo natu minor fuisset, et tum primum atque ante aetatem lege constitutam in scenam prodisset. Sancitum enim erat, ut ne quis ante tri-

---

119) Palmer. exercitt. p. 452. Lessing. vit. Soph. p. 83. sq.

120) Corp. Inscriptt. II. 1. p. 340., ubi etiam vide, quae de varia nominis scriptura dicta sunt.

121) Opusc. phil. p. 308. sq. ed. Lips.

122) De trg. Gr. p. 103.

cesimum aetatis annum in scenam prodiret:[123]) a qua consuetudine tamen praeter Sophoclem etiam apud Aeschylum et Euripidem recessum est, qui et ipsi viginti quinque annos nati fabulas docere coeperunt;[124]) eademque aetate etiam Aeschylus in vita νέος ἄρξασθαι τραγῳδιῶν dicitur. An vero, quod idem Lessingius ex Plutarcho et Aristophane[125]) efficere studuit, illa ratio ex ducibus iudices certaminum tragicorum creandi postea etiam moris fuerit, vix est credibile: illud non dubitandum videtur, denos semper, singulos ex singulis tribubus, iudices lectos esse.

Illis igitur clarissimis iudicibus suffragia ferentibus Sophocles huius certaminis cum Aeschylo victor iudicatus est: quam victoriam a iuniore poëta de se reportatam aegre ferens Aeschylus Athenis relictis ad Hieronem, Syracusarum regem, profectus esse perhibetur:[126]) quamquam hanc itineris caussam suppositam esse a scriptoribus viri docti recte monuerunt.

Insignis de hac re quaestio restat, quibus fabulis Sophocles praeclaram illam victoriam reportaverit: trilogiam enim vel tetralogiam ab eo in certamen commissam esse inter omnes constat.[127]) Ad eas inveniendas viam aperuit Lessingius, in

123) Cf. schol. ad Arist. Nub. 526. Boeckh. l. l.
124) Cf. Suid. et vitas utriusque poëtae.
125) Rann. 1109 sqq. ἐστρατευμένοι γάρ εἰσιν κ. λ.
126) Plut. vit. Cim. c. 8. cf. Lange de Aeschylo p. 15.
127) Cf. Boeckh. de trg. Gr. p. 104.

hunc usum adhibens Plinii [128]) locum a Fabricio laudatum. Ibi enim Sophocles ante Alexandri Magni mortem annis centum quadraginta quinque Triptolemum docuisse traditur: quae mors quum incidat in Ol. CXIV. 1., [129]) numeris deductis Triptolemum Ol. LXXVII. 4. doctam esse invenimus. Quo ipso anno quum Sophoclem primum fabulas edidisse aliunde docti simus, primo eius certamini Triptolemum tribuere aequum est. Ipsa vero haec fabula qualis fuerit vehementer inter viros doctos ambigitur. Lessingius enim [130]) et cum eo disertius etiam Welckerus [131]) eam pro tragoedia habendam esse non dubitarunt, quum Brunckius, [132]) Jacobsius, [133]) Boeckhius, [134]) alii, quibus etiam Langius [135]) omnino assentitur, drama Satyricum fuisse statuerent. Brunckius, primus huius opinionis auctor, ex fabulae fragmentis sententiam suam sibi confecit: quae quum fere ad res agrestes spectarent, aliena esse a tragoedia videbantur. Sed illud per se patet aliter fieri nullo modo potuisse, quum tota Triptolemi fabula in eiusmodi rebus versetur. Praeclare autem nuper a Welckero [136]) demonstra-

---

128) Nat. Hist. XVIII. c. 12.

129) Cf. Ideler. de astron. vett. obs. p. 340. Actt. Acad. Berol. 1821 p. 261. sqq.; Chronol. I. p. 407.

130) Vit. Soph. p. 98. Laocoon. extrem.

131) Aeschyl. tril. p. 514. de dram. Satyr. p. 292.

132) Ad fab. frgmm.; 133) Add. ad Sulz. Theor. IV. 1. p. 146.; 134) l. l.

135) Vit. Soph. p. 21. cf. not. 93.

136) Ephem. liter. antiqq. 1834. n. 76 — 83. in recens. Ariadn. Grupp.

tum est, internam fabulae partium coniunctionem, quam potissimum in hac re spectandam esse concesseris, eiusque sanctitatem a Satyrici dramatis hilaritate prorsus alienam esse: in quo vix ulla ratione ipsius Cereris partes esse potuerunt.[137]) Qua disputatione mihi quidem certissima ac perspicua reddita est sententia, Triptolemum tragoediam fuisse, totamque fere ad venerationem cultumque deorum agrestium pertinuisse. —

Longius vero progressus est Gruppius,[138]) qui nuperrime quaedam de hac re publici iuris fecit. Is postquam multis eadem temeritate, qua sagacitate, de Rheso disputavit, Hermannique de hac fabula iudicium studuit refutare; Sophoclis illam esse contendit, et pertinuisse ad primam eius trilogiam. In eadem Thamyrin numerat, tota commentatione sic instituta, ut ingeniosam quandam rerum complexionem laudare quidem possis, admireris tamen viri temeritatem et audaciam, qua pro certissimo demonstrasse sibi visus est, quod, ut nunc saltem res iacent, neque potest demonstrari, neque ab ipso a gravissimis dubitationibus vindicatum est. Itaque in eiusmodi ingenii lusibus non iam moremur. Retinendum autem esse censemus, quod ratione admodum simplici effectum vidimus, Triptolemum scilicet ex prima Sophoclis trilogia fuisse: quamquam etiam huius sententiae argumentum haud

---

137) Dion. Halic. ant. Rom. t. I. p. 10. ed. Sylburg.

138) Ariadn. p. 285. sqq.

ita certum atque accuratum esse, Welckerus non iniuria monuit.

VI.

SOPHOCLES PRAETOR; EIUSDEM NOMINIS QUOT FUERINT.

Ab eo inde tempore Sophocles certaminibus tragicis saepissime cum aequalibus congressus est: quod quibus annis factum, totum fere in incerto iacet. Eusebius [139]) excelluisse eum Ol. LXXVIII. 1. tradit, errans autem in eo, quod eodem anno Euripidem certasse dicit, quem archonte Callia priore Ol. LXXXI. 1. primum prodiisse et tum demum vicesimum quintum aetatis annum egisse scimus. [140]) Cum ipso vero et Achaeo Sophocles fabulas docuit inde ab Olympiadis octogesimae tertiae anno altero, archonte Timarchide. [141]) Deinde idem Eusebius Ol. LXXXV. 4. eum excelluisse dicit; et denique etiam Ol. LXXXVII. 1. archonte Pythodoro, cum Euripide, tum quidem Medeam exhibente, et Euphorione certasse narratur: a quo eo tempore uterque victus est. [142]). De ipsis fabulis praeter tempora earum, quae exstant, vix quidquam notum; atque adeo haec ipsa magnam partem incerta sunt.

139) Chron. ad h. ann. p. 338. 9. ed. Maii et Zohrab. cf. p. 340 f.

140) cf. vitas Eurip. Elmsleius ad Bacch. dubitationem movens inanem causam sequitur.

141) Suid. v. Ἀχαιὸς Ἐρετρ. Diod. Sic. II. 6.

142) Arist. argum. Med. Eurip. Forsitan huc pertinet Gell. N. A. XVIII. 21.

Poetam igitur sic in rebus suis summo studio versantem vix unquam aliter atque in tragoedia occupatum invenimus. Quamquam enim etiam in legationibus et re publica administranda probatum fuisse auctor vitae tradit, tamen, etiamsi de veritate narrationis non dubitandum, quo tempore quaque occasione illud factum sit nusquam docemur. Fortasse autem scriptor nihil aliud spectavit, nisi Sophoclis praeturam cum Pericle, in quo munere aliquando a collega legatum missum esse verisimillimum est.[143]) Denique enim Sophocles ipsa tragoedia ad civitatem provocatus est. Namque quod Phrynicho accidisse tradit Aelianus,[144]) falso ille quidem tragicum eius nominis cum praetore confundens;[145]) hoc re vera apud Sophoclem factum esse plurimis gravissimisque testibus comprobatur, Antigona edita tragicus tantam omnium Atheniensium admirationem tantumque amorem sibi conciliasse fertur, ut hac re commoti una cum Pericle et Thucydide ducem eum crearent.[146]). Quod quando et quo in bello factum sit, quum et antiquorum quaedam diversitas et recentiorum vehementissima dissensio memoratu dignum reddiderit, quam poterimus accuratissime illustrare studebimus.

---

143) cf. Boeckh. de Antig. p. 44.

144) Var. histt. III, 8.

145) cf. Welck. de dram. Satyr. p. 285. n. 248. Suevern. Actt. Acad. Berol. 1824. p. 15.

146) cf. Arist. Byz. arg. Ant.; auct. vit.; alios.

Ac primum quidem illud veterum [147]) consensu et recentiorum quaestionibus demonstratum est, [148]) Sophoclis eam praeturam in bellum Samium incidisse. Quamquam enim auctor vitae diserte ἐν τῷ πρὸς Ἀναίαν πολέμῳ illud accidisse dicit, tamen hoc a ceterorum testimoniis non differre re bene perspecta apparet. Namque Pausanias [149]) profugos Samios commemorans partem eorum cum Leogoro circa Anaeam in terra continente castellum aedificasse dicit: quae urbs Samum versus spectabat. [150]) Praeterea illam foedere cum Samo coniunctam fuisse quum per se aliquid versimilitudinis habeat, tum colligi licet ex verbis Thucydidis [151]) οἱ φεύγοντες τῶν Σαμίων καταστάντων τούς τε Πελοποννησίους ὠφέλουν κ. λ.; quo accedit, ut Anaea saepissime Samiorum refugium fuisse videatur. [152]) Itaque auctoris vitae memoria nihil cum ceterorum testimoniis pugnat, quum Anaea a Samiis occupata contra ipsam urbem bellum gerendum esset.

Duae contra Samios expeditiones fuerunt, orto bello quum Athenienses a Milesiis contra eos auxi-

---

147) Androt. sec. schol. ad Ael. Arist. p. 182. ed. Frommel. Suid. v. Μέλιτος. all.

148) Imprimis Boeckh. de Soph. Antig. in Actt. Acad. Berol. 1824. Seidler. ante Herm. Soph. Antig. praecipue ed. III. alibi.

148) Lib. VII. 4. 3.

150) ἀντικρὺ Σάμου cf. Steph. Byz. v. Ἀναία.

151) Lib. IV. 75. cf. I. 115. III. 32. VIII. 19.

152) Thuc. l. l. Poppo prol. ad Thucyd. t. II. p. 466. Krueger. ad Dionys. historiogr. p. 328. Paus. l. l.

lio vocarentur. Ac tum quidem, ut Diodorus[153]) ait, ὁ Περικλῆς ἐν ὀλίγαις ἡμέραις πάντα συντετελεκὼς ἐπανῆλθεν εἰς τὰς Ἀθήνας. Mox vero Samii icto foedere cum Pissuthne, Persarum regis satrapa, surreptisque ex Lemno obsidibus iterum ab Atheniensibus defecerunt: qui re comperta eodem Pericle duce profecti duobus proeliis eos devicerunt. De posteriore victoria Thucydides:[154]) καὶ ναυμαχίαν μέν τινα βραχεῖαν ἐποιήσαντο οἱ Σάμιοι, ἀδύνατοι δὲ ὄντες ἀντισχεῖν ἐξεπολιορκήθησαν ἐννάτῳ μηνὶ κ. λ. Plutarchus de eadem re:[155]) ἐννάτῳ δὲ μηνὶ Σαμίων παραστάντων ὁ Περικλῆς τὰ τείχη καθεῖλεν. Ex quibus locis illud intelligi arbitror, non cum Seidlero[156]) post hanc expeditionem Samum etiam novem menses oppugnatam esse debere statui; quum potius totam rem novem mensibus, ex quo Samii defecerunt, confectam esse appareat. Neque etiam, quod idem vir censet, scholion illud,[157]) τὰ περὶ Σάμον ἐννεακαιδεκάτῳ ἔτει πρότερον ἐπὶ Τιμοκλέους γέγονε καὶ ἐπὶ τοῦ ἑξῆς Μορυχίδου, repugnat: quum quod bellum Timocle archonte ortum esset, etiamsi novem tantum menses duraret, tamen Morychide demum archonte finiri bene posset. Itaque eo magis conveniens erit, etiam priorem expeditionem, quippe quam paucis diebus finitam mox altera sequuta sit, eodem Timocle archonte eodemque anno factam statuere; neque Diodorus a Seidlero tam vehementer vituperandus fuit,

---

153) Lib. XII. 27. 154) lib. I. 117. 155) vit. Pericl. c. 28.
156) Cf. Soph. Ant. ed. Herm. p. XLVIII.
157) Ad Arist. Vesp. v. 283.

quum utraque expeditione, licet duobus archontibus, unius tamen anni spatio perfecta levis tantum eius error sit; quamquam idem etiam alias in unum annum congessit, quae pluribus tribuenda erant.[158])

Illud igitur quum certum sit, ad nostram rem fere perinde erit, priorine an alteri expeditioni Sophocles interfuerit: quanquam hoc accurate discernendum Seidlerus arbitratur, ut scilicet Sophoclem priori expeditioni non interfuisse demonstret. Quo studio nihil eum assequi apparet, quum hoc saltem et cum omnibus testimoniis optime conveniat et per se verisimillimum sit, Sophoclem una cum Pericle creatum et in utraque expeditione unius belli scilicet ducem fuisse. Atque adeo eius praeturam nullo pacto ad Ol. LXXXV. 1. referendam esse disertissimis veterum testimoniis confirmatur. Melissum philosophum in eo bello Samiorum ducem fuisse Plutarchus[159]) dicit, eiusdemque ἀκμὴν, quam vocant, Apollodorus[160]) in Ol. LXXXIV. 4. incidere tradidit. Disertius Suidas[161]) Melissum, Ithagenis filium, (est enim is intelligendus, non Melitus, Socratis accusator) Samiorum ducem, ait, contra Sophoclem tragicum pugnasse Olympiade octogesima quarta. Forsitan etiam non sine mo-

---

158) Mitford hist. Gr. vers. Eichst. t. II. p. 493. not. Krueger. in Seebode annall. Philol. etc. I, 2. p. 220.

159) Vit. Pericl. c. 26.

160) Secund. Diog. Laert. IX. 24.

161) s. v. Μέλιτος.

mento aliud argumentum est, ex scholiasta Aristidis [162]) comparandum. Is τῶν δέκα στρατηγῶν τῶν ἐν Σάμῳ τὰ ὀνόματα κατὰ τὸν Ἀνδροτίωνα enumerans Periclem quidem et Sophoclem Colonensem, poëtam, inter eos commemorat, aliosque sex: duo vero nomina interciderunt, inter quae Thucydidis nomen fuisse colligendum est, propterea quod ipsum una cum Sophocle et Pericle ducem creatum fuisse ab auctore vitae docti sumus. Neque enim illud impedimento fuisse, quod et Sophocles et Thucydides, Colonensis alter, alter Alopecensis, uterque tamen ex Antiochide tribu fuit [163]) (quamquam aliter fere fieri solebat); hoc ex eodem illo catalogo apparet, quum etiam Pericles et Glauco, uterque ex eadem tribu Acamantide, inter eos numerati sint. Probabilior etiam illa sententia eo redditur, quod eiusdem Thucydidis nomen inter duces alterius expeditionis a Thucydide [164]) recensetur. Ibi vero quum Sophoclis omnino nulla mentio sit. quatuor duces nominati sunt, Agno, Phormio, Tlepolemus, Anticles, qui cum eodem Thucydide apud scholiastam Aristidis desiderantur. Qui quidem, quum exeunte anno deni duces in sequentem crearentur, [165]) non omnes cum octo illis, quos scholiasta nominavit,

---

162) p. 182. ed. Frommel.

163) Cf. Plut. Pericl. c. 11. schol. ad Ar. Nub. 941. Gramm. in Bachm. anecd. t. I. p. 73.

164) Lib. I. 115. sqq.

165) Cf. Schoemann. de comitt. p. 313. sqq. Boeckh. de Antig. p. 53. sq.

una creati esse possunt: unde quum inter alteram expeditionem annum finitum esse sciamus, [166]) forsitan colligi licet, in hac nova creatione exeunte anno iterum instauranda Periclem et Thucydidem iterum creatos esse, Sophoclem forsitan non esse: quod quidem de Pericle constat ex verbis Diodori [167]) πάλιν προχειρισάμενοι στρατηγόν κ. λ. Omnes autem a scholiasta isto nominatos ad priorem expeditionem pertinere apparet. Altera vero quum anni quarti Olympiadis LXXXIV. circiter sex postremos menses explevisset, quippe quae ad Timoclis magistratum tota fere a scriptoribus referatur; priorem ineunte eodem anno, certo non postea, suscipi coeptam, et Sophoclem iam tum ducem creatum esse cernitur. [168])

Quibus ita constitutis, ut iam errari haud facile queat, auctoris vitae memoria commemoranda est. Is Sophoclem sexaginta novem (vel quinque) annorum aetate ab Atheniensibus ducem creatum esse tradit, novem annis ante bellum Peloponnesiacum. Prior numerus quum falsissimus sit, eum mutandum esse omnes viderunt; probabiliter mutatum esse a Lessingio, pro ἑξήκοντα πέντε scribendum πεντήκοντα πέντε statuente, facile crederem, nisi in pluribus etiam libris ξθ΄, non ξε΄, scriptum esset, ac

---

166) Cf. schol. ad Arist. Vesp. 283.

167) Lib. XII. 27. cf. Boeckh. de Antig. p. 56. additt. p. 229.

168) Praeter Boeckhium et Seidlerum (cf. etiam Ephem liter. Halens. 1825) quaedam de his rebus dixit Wexius prolegg. ad Soph. Antig.

praeterea in notis Graecis hoc modo non tam facile errari posset, quam in nostris numeris scribendis. Quapropter forsitan nostra coniectura alicui placebit, qua confusas numerorum notas delentes pro αὐτὸν ξε' ἐτῶν ὄντα legendum esse αὐτὸν νε' ἐτῶν ὄντα statuimus: ut idem efficiatur. Quod si feceris, numeri cum ceterorum testimoniis optime conciliantur. Accedit, ut in epigrammate illo apud Plutarchum, quod huc referendum esse viri docti monuerunt [169]), poëta eo ipso tempore quinquaginta quinque annos natum se fuisse profiteatur. Ad alterum numerum quod attinet, ab Ol. LXXXIV. 4. usque ad Ol. LXXXVII. 1., quo anno Pythodoro duos etiam menses archonte bellum Peloponnesiacum ortum esse scimus [170]), anni fere novem numerantur: sed quum septem tantum integri anni interiecti sint, hunc numerum a vitae scriptore indicatum esse non aegre ferri debet.

Iucundum est audire, quemadmodum Sophocles in hac praetura se gesserit: de qua re quamvis nonnulli eius magistratum commemorantes tacuerint [171]), plurimi tamen aliquid prodiderunt. Illud negligendum esse arbitror, quod Justinus, [172]) tempora et res permiscens, Sophoclem Atheniensium ducem cum Pericle Peleponnesum devastasse narrat: quod et omni aliorum testimonio prorsus

(169) cf. Boeckh. de Antig. p. 60. Heyse quaest. Herod. I. p. 66.

(170) cf. Thucyd. II. 2. alios.

(171) Strab. XIV. p. 446. Almel. Plin. N. H. XXXVII. 2.

(172) Lib. III. 6.

caret, et per se minime verisimile est. Pericli autem imperium Sophoclis non vehementer probatum fuisse traditur. Qui quum aliquando in concione formosum puerum conspiciens admiratione abreptus illum laudaret, monitus est a collega, decere praetorem non solum manus, sed etiam oculos abstinentes habere.[173]) Alias ipse Sophocles a Pericle vituperatum se esse profitetur,[174]) quod poëmata quidem facere nosset, artem imperatoriam non nosset. Quamquam hoc mirum non est, quum aliud sit in tragoediarum certaminibus principem esse, aliud in bello. Sed scholiastae Aristophanis[175]) fidem non esse habendam arbitror, qui poëtam ex illa praetura nimiam pecuniam sibi confecisse tradit. Dixit enim illud, ut comici locum explicaret, quo illam Sophoclis avaritiam perstringi putabat. Sed quum Pax Sophocle iam sene, Ol. XC. 1., post Samiam praeturam annis circiter viginti demum docta sit, illud iam per se patet ab Aristophane non amplius respici potuisse, sed aliam potius eius vituperationis causam exstitisse, quam ab altero scholiasta verius docemur eam fuisse, ὅτι ἐπὶ μισθῷ ἔγραψε τὰ μέλη: id quod etiam comparatio cum Simonide ostendit. Itaque narratio illa de questu iniquo ab scholiasta inventa erit: cuius avaritiae simile crimen Sophocli a Xenophane obiectum esse

---

(173) Cic. de off. I. 40. Plut. Pericl. 8. vit. Isocrat. t. IX. p. 336. Reisk. Val. Max. IV. 3. extern. 1. alios.

(174) secund. Jon. ap. Athen. XIII. p. 603. f.

(175) ad Pac. v. 696.

error est Florentis Christiani, quem probatum a Lessingio Boeckhius [176]) correxit.

Priusquam hanc materiam relinquamus, complures alii loci, quibus passim Sophoclis nomen inter duces illorum temporum refertur, illustrandi sunt: atque eiusdem nominis quum plures inveniamus, quot quibusque temporibus fuerint paucis communicare iuvabit. Prae ceteris memorabilis est locus Plutarchi, [177]) qui Niciam narrat multis rebus praecipuum et maximi aestimatum fuisse: ita ut, quum aliquando in universa praetorum concione Sophoclem iussisset, ὡς πρεσβύτατον ὄντα τῶν στρατηγῶν primum dicere sententiam, hic Ἐγὼ, respondisset, παλαιότατός εἰμι, σὺ δὲ πρεσβύτατος. Quod quamvis egregie eum Sophoclis ingenio conveniat et fere expressum videatur ex ipsius Antigona (v. 715.)

γνώμη γὰρ εἴ τις κἀπ' ἐμοῦ νεωτέρου
πρόσεστι, φήμ' ἔγωγε πρεσβεύειν πολὺ,
φῦναι τὸν ἄνδρα πάντ' ἐπιστήμης πλέων·

tamen propter temporum rationem ad poëtam vix referri poterit. Incidit enim haec res in annum belli Peloponnesiaci fere decimum septimum; quo tempore quamquam in vivis erat Sophocles poëta, tamen iam octogesimum secundum aetatis annum agebat. Et quamvis Plutarchus eum tunc senem fuisse dicat, tamen ad id senectutis provectum tam temerariae fere expeditionis, qualem Athenienses Alcibiade auctore in Siciliam susceperunt, vix soci-

---

(176) de Antig. p. 45.
(177) Vit. Nic. c. 15.

etatem petiisse arbitror; nedum imperium sumsisset, qui non tam Marti, quam Musis deditus esset. Plutarchum autem ut ad poëtam tragicum transferret, quae ad alium quendam pertinerent, non satis accurate perspectis quibusdam veterum locis commotum esse censeo. Etenim Sophocles quidam in bello Siculo dux commemoratur a Thucydide[178]) et Diodoro;[179]) quamquam non cum Nicia, sed cum Eurymedonte coniungitur: quem tamen ne ipsum quidem poëtam esse quum horum scriptorum, tum aliorum omnium silentio de re tam insigni satis firmatur. Ab eodem forsitan non diversus fuit Sophocles, quadraginta virorum unus, quem Aristoteles[180]) τῶν προβούλων fuisse, qui circa illud tempus legibus scribendis electi essent, et orationem pro Euctemone habuisse dicit. Alius is esse videtur, quem Xenophon[181]) inter triginta tyrannos recensuit. Ex eodem tempore quartus est, nostri ex Aristone nepos; de quo posteà dicendum. Quintus, Leontis filius; qui licet non multo post vixerit, tamen fere omnino incognitus nobis est; nisi quod totam eius domum aliquando δᾳδοῦχον fuisse a Pausania docemur:[182]) quo munere, in sacris Eleusiniis admodum insigni, etiam illius nepos perfunctus est, frater Acestii virginis, cui in via sacra ad Eleusina monumentum exstructum fuit, et idem Sopho-

178) Lib. IV. 2 et 3. alibi.
179) Lib. XII. locc. var.
180) Cf. Rhet. III. 18. I. 14.
181) Hist. Graec. II. 3. 2.
182) Lib. I. 37.

cles nominatus. Septimus est Sophocles Amphiclidae filius, Suniensis, qui archonte Athenis Democlide, Ol. CXVI. 1.,[183]) legem tulit de philosophis expellendis:[184]) qua etiam Theophrastus expulsus est. Verum ineunte altero anno a Phillione sive Phillone Sophocli dies dictus et lege abrogata quinque talentorum mulcta imposita est. A tragico nostro oriundus est octavus eiusdem nominis, Sophocles Atheniensis. Vixit ille post tragicorum pleiadem, quam vocant, rege Ptolemaeo Philadelpho defuncto Ol. CXXXIII. 2. Alexandriae constitutam,[185]) et ipse etiam poëta tragicus et lyricus fuit, scripsitque dramata sedecim;[186]) vicit autem Orchomeni, feriis Charitesiis, circa Olympiadem CXLV.[187]) Quod vero hoc loco Σοφοκλῆς Σοφοκλέους nominatur, hoc parum accurata dictione nihil aliud significare arbitror atque quod voluit Suidas ἀπόγονον τοῦ πρεσβυτέρου dicens. Nonus est Sophocles Agrigentinus, homo, ut ipsius Ciceronis verbis[188]) utar, disertissimus, omnique virtute et doctrina ornatissimus, qui oppressos a Verre aratores Siculos apud Pompeium defendit, multaque de eorum miseriis graviter dixit atque adeo deploravit. Duo reliqui minus noti sunt, decimus, scholiastarum unus, qui Apol-

---

183) Cf. Clint. fastt. Hell. ad h. ann.

184) Diog. Laert. V. 38. Athen. XI. p. 508. f. XIII. p. 610. e. Jul. Poll. IX. 42. Ael. Arist.

185) Cf. Naek. sched. crit. p. 3.

186) Cf. Suid. s. v. Σοφοκλ. III.

187) Cf. Boeckh. Corp. Inscriptt. I. n. 1584. p. 765.

188) In Verrem III. 88.

lonii Argonautica commentati sunt: quem bis vel ter commemorat Stephanus Byzantius;[189] aliis tamen idem Σοφόκλειος ὁ γραμματικὸς nominatur, quod rectius esse Boeckhius[190] statuit. Undecimus denique Sophocles medicus est, alioquin ignotus, cuius tamen Plinius[191] mentionem facit.[192]

VII.

SOPHOCLIS SCRIPTA; VICTORIAE.

Praeter illam praeturam Sophocles nunquam publicis muneribus functus esse videtur, nisi quod apud auctorem vitae Halonis sacerdotium habuisse traditur: quod quale fuerit non satis constat; neque vero multum refert, quum ne Halo ipse quidem nobis notus sit, praeterquam quod heros fuit cum Aesculapio apud Chironem educatus. Sed poëta quo rarius ad rem publicam accessit, eo saepius scenae opera sua tradidit nomenque omnibus commendavit. De ipso fabularum numero quamvis alii aliter statuant, in hoc tamen omnes conveniunt, maximum earum numerum fuisse: qui licet fidem nostram fere excedat, tamen ab illis temporibus, quum scriptor totus arti suae deditus esset, parum alienus est.

---

189) s. v. Ἄβαρνος et Κάναστρον. cf. v. Ἄβροι. v. Κράνεια olim legebatur Σοφοκλῆς Λαρισσαῖος; quod in Λαρισσαίοις mutandum esse dudum dixere viri docti. Eandem fabulam Stephanus laudat v. Δώτιον.

190) Cf. Oecon. Athen. II. p. 360 sq. et qui ibi laudati sunt.

191) Nat. Hist. XXII. 32.

192) Quaedam de hac re dixerunt Meursius et Lessingius; plura Wexius ad Antig. I. p. 3. not.

Suidas igitur Sophoclem dramata centum viginti tria (ρκγ′) docuisse dicit, secundum quosdam vero multo plura. Distinctius auctor vitae ab Aristophane ei adscriptas esse fabulas centum triginta tradit, quarum septemdecim suppositas iudicavisset. Qui quidem numerus quamquam solum Sophoclem spectantibus incredibilis fere videbitur, tamen satis verisimilis est, si Aeschylo quoque septuaginta vel octoginta dramata tribui in animum revocamus. Quid quod Euripidis etiam minimo numero constituto septuaginta quinque fabulas fuisse certum est? quanquam multi maiorem numerum, minorem nemo tradidit [193]). Nonne igitur nostro iure Sophocli, qui etiam aliquanto diutius vixit, plures fabulas, et vel centum tredecim germanas cum Aristophane, vel centum viginti tres cum Suida tribuere possumus? Ad ipsos autem hos numeros inter se conciliandos alia ab aliis pericula facta sunt. Sam. Petitus [194]) multa dramata falso ad Sophoclem referri demonstrare conatus Aristophanis sententiam ex Suida emendare vult, factum esse existimans ex ρκγ′, (centum viginti tria), disiunctis literis et postrema conversa ρ′ καὶ (κ′) λ′, centum et triginta. Quam corrigendi rationem improbandam esse monuit Boeckhius [195]). Primum enim etiamsi cetera paria essent, non ex Suida Aristophanes, sed ex hoc ille

---

193) cf. Valcken. diatr. c. II. p. 10 sqq.; Thom. Mag. XCII dramata dicit; alii aliter.

194) Legg. Att. p. 70. sqq.

195) de trg. Gr. p. 110.

emendandus foret. Tum numerus apud Suidam literis tantum expressus est, in quibus scribendis et rescribendis errorem commissum esse multo verisimilius est, quam in verbis. Itaque si qua correctio necessaria videbitur, apud Suidam pro ϱκγ' cum Boeckhio ϱιγ' corrigendum erit: ita ut Sophoclem fabulas centum tredecim docuisse dicat, secundum quosdam vero plures, centum et triginta scilicet, annumeratis septemdecim illis, quas Aristophanes suppositas esse dixit. Est ea admodum probabilis coniectura. Sed etiam plures, quam centum triginta, fabularum Sophoclearum tituli a viris doctis recensiti sunt: quorum Casaubonus ad Athen. et Meursius supra centum quinquaginta collegerunt. Animadvertendum autem est, in ea re constituenda accuratissima diligentia opus esse, ne, id quod etiam a Fabricio factum est, falsi et conficti inepte tituli laudentur, ortis erroribus partim ex male intellectis veterum testimoniis, partim ex falsis scripturis librariorum, quibus factum est, ut Κύϱιοι, Ἀκύϱιοι, Σκύϱιοι fabulae recensitae sint pro una Σκύϱιαι; et quae sunt generis eiusdem [196]). Quibus rationibus freti ipsamque rem non satis credibilem esse existimantes fuerunt, qui Sophoclearum fabularum numerum multo minorem putandum esse arbitrarentur. In quibus Petitum omittamus, cuius argumenta ad certum quendam numerum efficiendum rectissime dudum improbata sunt. Omnium loco nominandus est Boeckhius

---

196) cf. Brunck. ad Soph. frgmm. n. 82.

l. l., qui rebus accurate consideratis »illud certe probabile manere et mansurum esse dicit, qui ab anno duodetricesimo ad annum quinquagesimum sextum edidisset triginta duas fabulas, eum ab hoc ad nonagesimum non editurum fuisse nonaginta vel centum. At fore istud, si Sophoclis essent omnes, quae tributae ei fuissent.« Fuit enim Sophocles quum Antigonam doceret, fabulam suam tricesimam secundam, natus annos fere quinquaginta quinque. Errorem autem inde facile oriri potuisse Boeckhius statuit, quod quae nepotis essent fabulae, ad avi clarioris nomen referrentur. Satis amplum igitur numerum comparatione prioris, comparatione senis quamvis vegeti cum iuvene et viro statuere censet, qui intra illud tempus quadraginta fabulas a poëta editas esse concesserit. Quae quum omnia arcte ad rem pertineant, utilia admodum forent ad comprobandum, quod alioquin incertum esset. Ac procul dubio Boeckhius illud rectissime indicavit, ex fabularum titulis, quos cunctos, una tantum vel tribus tragoediis exceptis, diserte a Clemente Alexandrino minori Sophocli tributis, ad Sophoclem Sophilli filium referunt, complures certo ad nepotis fabulas pertinere: ex quibus quum tamen quadraginta essent, et eae quidem haud contemnendae, admodum mirandum foret, si nemo unquam veterum sententiam in usum suum depromsisset, Sophocle auctore nominato. Etiam hoc verisimile est, mox utriusque Sophoclis fabulas in unum corpus congestas esse, ut, utrius quaeque, postea haud ita facile esset ad discernendum. Sed est illa disertis-

sima traditio, quae maioris Sophoclis centum tredecim fabulas esse voluit, de qua eo minus dubitandum erit, quum Aristophanes data opera, ut quae essent verae Sophoclis tragoediae, quae suppositae, discerneret, septemdecim tantum secreverit, centum tredecim pro vere Sophocleis habendas esse voluerit; quo accedit, ut Suidas, forsitan eundem grammaticum sequutus, statim minori Sophocli quadraginta fabulas ipsius proprias tribuerit. Itaque ab hac *Aristophanis* sententia non discedendum esse arbitror, nisi forte inepti quid in ea insit. At hoc non est. Quamquam enim memoria et admiratione dignissima res manebit, quae dubitationem facile movere potuit, tamen cur Sophocles per triginta quinque postremos vitae annos non multo plures fabulas docuerit, quam per viginti octo annos ab eo inde tempore, quo primum ad tragoediam accessit? Quod eo credibilius videbitur, si eum usque ad extremam senectutem fabulas docuisse, omnesque, quarum tempora cognoscimus, post Antigonam doctas esse reputaveris. Accedit, ut poëtae quotannis facilius fieret, plures fabulas edere; quum iam adolescens multas animo concipere vel conscribere posset, a quibus docendis et facultas et modestia eum tum retineret. Victoriarum numerus num quod argumentum ad rem certius definiendam suppeditet, statim apparebit.

Ex ipsis vero fabulis quot fuerint tragoediae, quot dramata Satyrica, id longe difficillimum est ad constituendum. Etenim res non ea ratione absolvenda est, qua praeter Welckerum hucusque fere

omnes usi sunt, iudicium sibi conficientes illi ex uno vel altero verbo in fabularum fragmentis obvio; quod si forte argumentum indicare visum est, quod circa rem rusticam posset versari, id dramatis Satyrici esse dixerunt. Ita factum, ut insignem numerum efficerent. Sed ex his multa eximenda et pro tragoediis habenda esse, partim indicavit tantum, partim demonstravit Welckerus [197]). Ac sola hac ratione, qua ipse usus est, non tam singula verba spectans, quam rerum necessariam complexionem verbis comprehensam et mythorum indolem atque seriem, fortasse cuipiam continget, ut etiam ceterae fabulae quales fuerint maximam partem explicare possit; quae non facilis quaestio est; et quamvis et acceptissima mihi sit et ab re haud aliena, nunc tamen omittenda, quum ab ipso proposito nimis longe nos abreptura esset. Cognita sunt autem dramata Satyrica secundum Casaubonum [198]) decem, secundum Welckerum undeviginti; certo non triginta, quot Brunckium festinantius sequens Boeckhius aliquando statuit [199]): atque illa ternis tragoediis singula addita esse viri docti censuerunt.

Cum hac definitione optime conciliatur numerus victoriarum, quas Sophocles reportasse perhibetur: in quo constituendo parva quaedam varietas. Suidas poetam vicies quater vicisse tradit, Diodorus [200]) duodevicies. Utriusque numeri intermedius

---

197) de dram. Satyr. p. 287 sq. p. 290 sqq.
198) de poesi Satyr. p. 132.
199) de trg. Gr. p. 130 sq.
200) lib. XIII. 103.

fere est, quem Carystius Pergamenus in libro de didascaliis constituit, viginti victorias eum reportasse dicens.[201]) Diversae sententiae unde ortae esse possint, partim iam ab aliis monitum est. Forsitan earum fabularum, quae bis doctae et bis palma ornatae sunt, victoriae a Diodoro semel, a Suida bis numeratae sunt: Antigonam enim fere constat, bis doctam et primo loco renunciatam esse vivo Sophocle.[202]) Etiam factum esse potest, ut Suidas eam victoriam numero adderet, quam ex certamine, quod τῷ λόγῳ περὶ τοῦ χοροῦ poetam cum Thespide et Choerilo inisse putavit, Sophocles reportavisset. Quapropter par est eum numerum pro vero haberi, qui et natura sua maxime commendatur et ab antiquissimo auctore traditus est: praesertim quum Carystium propter industriam et doctrinam, quae externa rerum condicione, Pergamo etiam eo tempore doctissimis viris florente, luculenter adiuvabatur, in constituendis his rebus errasse putari omnino non liceat. Primam igitur palmam Sophocles vicies tulit: verum etiam secundum tertiumve citari haud parvis in honoribus fuit; qui quoties Sophocli contigerint accurate definiri nequit. Quamquam auctor vitae saepe etiam secundas eius partes fuisse tradit: quem tamen numerum longe infra viginti habendum esse ex loci natura apparet: ita ut quinquies vel decies constitui liceat. Quotiescunque autem Sophocles fabulas docuit, nunquam tertium eum re-

201) secund. auct. vit.
202) cf. c. IX. XIV.

nuntiatum esse auctor vitae affirmat: nedum etiam hac laude unquam inferior fuisset. Illum vero victoriarum numerum comparatum cum fabularum multitudine fere parvum iudicaveris, vel omnino inconcinne et inepte indicatum: quum tamen Sophocles semper aut primus aut secundus renunciatus non fere tricies tantum vicisse et nihilominus multo plures fabulas edidisse posse videatur. Reputandum autem est, ternas vel quaternas semper fabulas doctas esse, quod recte viros doctos iudicasse haec ipsa res argumento est, quaternarumque fabularum unam tantum fuisse victoriam: quibus constitutis inita subductaque ratione magno illi tragoediarum numero hac ipsa re haud paulum verisimilitudinis accedere invenies.

Ex omnibus vero illis fabulis septem tantum integrae nobis conservatae sunt; reliquarum nihil fere superest, nisi pauca et ne ea quidem satis cohaerentia fragmenta: quae quotquot exstant recensita fere sunt a Brunckio et Dindorfio, ad quos nunc relegandos mihi esse censeo, qui ea cognoscere velint; quum paucis utilia de iis proferre difficillimum sit, copiosius autem rem tractari hoc loco non liceat. Dicendum vero est de aliis quibusdam Sophoclis scriptis, quae fere rarius commemorantur. Suidas igitur eum etiam elegiam fecisse dicit, et paeanes, et disputationem de choro scripsisse, qua cum Thespide et Choerilo certavisset. Unius ex paeanibus Philostratus [203]) mentionem facit, Apol-

203) Vit. Apollon. III. 17.

lonium interfuisse narrans Indorum rebus divinis: οἱ δὲ ᾖδον ᾠδὴν, ὁποῖος ὁ παιὰν ὁ τοῦ Σοφοκλέους, ὃν Ἀθήνῃσι τῷ Ἀσκληπιῷ ᾄδουσιν. Ex quibus verbis recte cum Lessingio colligitur, Philostrati tempore paeanem illum exstitisse et in ore hominum fuisse. Eundem recte ad Sophoclem referri, etiam descriptio Sophocleae imaginis apud Philostratum iuniorem [204]) argumento est, ubi Aesculapius ad poetam conversus eum ut paeanem in se scribere velit admonere fingitur. Ex qua comparatione etiam illud apertum est, Sophoclem, tragicorum principem, non eius nepotem illis locis intelligendum esse: quamquam hoc eo facilius aliquis statuerit, quod quum etiam nepotem complura minora carmina scripsisse ex Suida constet, tum ab eodem iunioris Sophoclis coniunctio quaedam cum Apollonio commemoratur: quam ad avum pertinere docebimus. Sed neque ex paeanibus neque ex elegia illa quidquam nobis superest, nisi forte huc pertinent verba Erotiani: [205]) Χάρετες αἱ χαραὶ, ὡς καὶ Σοφοκλῆς ἐν ἐλεγείᾳ: quod fere credibile est. Quae quamvis non sine magno nostro detrimento nobis erepta sint, multo magis tamen dolendum videtur, quod etiam scriptio de choro perdita est: ex qua plurima et praecipua nobis discenda fuissent. Quod autem hac disputatione, quam oratione pedestri (καταλογάδην) scriptam fuisse vix est quod moneamus, Sophoclem cum Thespide et Choe-

---

204) Imagg. XIII. Monitum iam a Lessingio. cf. Welck. ad h. l. in edit. Iacobs.

205) lexic. Hippocr. v. Χάρετες.

rilo certasse tradit Suidas; id certaminum tragicorum more factum non esse apparet. Ne propter aetatem quidem Sophocles cum illis viris certare potuit. Forsitan igitur uterque de choro publice quaedam communicaverant: quae quum minus recte disputata viderentur, Sophocles singulari de eadem re libello contra illos pugnavit [206]).

Ab aliis scriptoribus etiam epigrammata quaedam fecisse traditur: de quo vix dubitari poterit, quum quotquot ea tempestate poetae fuerunt, omnes eiusmodi poëmatia scripserint. Epigramma Sophoclis in Euripidem ab Athenaeo [207]) servatum est: de quo postea dicendum. Alius epigrammatis fragmentum legitur apud Plutarchum [208]), qui omnium consensu Sophoclis illud esse dicit:

ᾠδὴν Ἡροδότῳ τεῦξεν Σοφοκλῆς ἐτέων ὢν
πέντ' ἐπὶ πεντήκοντα . . . .

Ipsum vero istud carmen ad Herodotum cuiusmodi fuerit vix effici potest. Ad Oedipum Coloneum prorsus inepte illud relatum esse Iacobus [209]) monuit, ipse tamen maximo errore implicitus idem ad Antigonam referens. De tragoedia omnino cogitandum non esse dixit Boeckhius [210]), epigramma illud ξένιον ad carmen quoddam in Herodotum fuisse statuens: quod quale fuerit in medio relinquendum est. Ipsorum autem virorum aliquod commercium

---

206) Est praecipua Naekii disputatio de Choeril. Sam. p. 8. sqq.
207) lib. XIII. p. 604. f.
208) de rep. a sen. ger. c. 3.
209) Quaestt. Soph. I. p. 349. cf. p. 364.
210) de Soph. Antig. p. 60.

fuisse etiamnum ex eorum scriptis apparet: de quo postea quaedam monenda erunt.

VIII.

SOPHOCLES QUAE INVENERIT AUT MUTAVERIT.

In ipsa tragoedia agenda ex quo primum Sophocles in scenam prodiit, multa aliter instituta sunt. Primum enim quum antiquitus ipse poeta actoris in fabula partes susciperet, Sophocles propter vocis nimiam gracilitatem ab hac consuetudine decessit [211]). Atheniense enim theatrum amplissimum fuisse constat, nostraque, quae esse solent, magnitudine longe superans; ita ut actores imprimis canora atque forti voce opus haberent. Ne vero quis dubitet, quin ea sola huius mutationis causa fuerit, inductus ille perversa horum temporum opinione ignominiam quandam actorum fuisse statuens; meminerit in scenam prodire et populo esse spectaculo nemini inter Graecos turpidini fuisse: ita ut actores saepe in primis rei publicae viris numerarentur vel cum iis coniunctissimi essent. Quod quidem ipse Sophocles satis declaravit, quum ubi vocis illa imbecillitas impedimento non esset, etiam ipse actoris partes susciperet. Itaque quum Thamyrin doceret, in hac sola fabula cithara cecinisse perhibetur [212]), procul du-

---

211) cf. auct. vit.

212) Athen. I. p. 20. m.; auct. vit.

bio ipsius Thamyris partes agens: unde etiam citharam manu tenens in στοᾷ ποικίλῃ pictus esse fertur [213]); quamquam Boettigerus [214]) Pausaniae descriptionem imaginum in illa porticu pictarum respiciens eam rem non iniuria in dubium vocasse videtur. Sophocli autem in arte musica, imprimisque cithara canendi, optime erudito Thamyrin agere eo facilius fuit, quum antiquus ille vates Thracicus citharae sine accentu primus usum fecisse traditus sit [215]). Illius igitur partes agens non minorem civium suorum gratiam sibi comparaverit, quam pila ludens in Nausicaa accepit. In hac enim fabula, a quibusdam Lavatrices nominata, Nausicaae personam agens maxima arte et dignitate pila lusisse fertur, ita ut vehementer omnibus placeret [216]). Nefas est, feminam non liberare a culpa praesertim parum caute in eam collata: quapropter annotare licebit, notitiam illam fabulae bene acceptae Daceriam ex Eustathio sumsisse, non ex mera coniectura profectam pro vera venditasse, ut visum Lessingio [217]) eandem saepius parum recte perstringenti.

In hac igitur re omnia plana atque aperta sunt; ad ceteras vero mutationes quod attinet, aut ipsae quales fuerint parum accurate expressum et intellectu difficillimum est, aut eaedem etiam aliis inventoribus tribuuntur; ut dubitationis et coniecturarum vix

---

213) cf. auct. vit.

214) Ideae ad Archaeol. pict. p. 279; Paus. I. 15. (cf. X. 10.)

215) cf. Plin. Nat. Hist. VII. 57.

216) Athen. l. l. Eustath. ad Odyss. p. 1553.

217) Vit. Soph. p. 115.

modus constitui queat. In quibus imprimis numerandum est, quod Suidas tradit: καὶ αὐτὸς ἦρξε τοῦ δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι, ἀλλὰ μὴ τετραλογίαν. Qui locus a multis saepe versatus et diversissime explicatus est. Usque ad Sophoclem certamina tragica trilogiis facta esse dicunt, quibus additum esset quartum drama hilarioris argumenti, a Satyrorum choro nominatum Satyricum. Quod licet primi tragici non fecerint, fecit tamen Aeschylus, et qui Sophoclem proxime antecesserunt. Hic igitur a Samuele Petito [218], Suidae verbis freto, quum primum prodisset, tetralogiam quidem edidisse dicitur, quo labore perterritus ceteris insequentibus annis unum quotannis drama in scenam produxisset. Quam sententiam qui insulsam nominaverunt laudandi sunt. Sed ne ipsi etiam eodem modo a vero aberremus, de trilogia et tetralogia in universum quid statuendum videatur paucis moneri debet.

De trilogiarum natura et ingenio qui Welckero accuratius disputaverit scimus neminem; neque adversariorum argumentationibus rem ipsam vehementer mutatum iri censemus. Fuerunt autem Aeschyli trilogiae ternarum tragoediarum compositiones, per se quidem unaquaque totum quiddam efficiente, ita tamen instituta, ut altera alterius praecipuum quoddam momentum contineret, quod aut sequentem fabulam indicaret, aut praegressae memoriam esse retinendam aperte declararet. Qua ratione plerumque rerum ea series est, ut antecedens quaeque tra-

218) de legg. Att. p. 74 sqq.

goedia sequentis argumentum quodammodo constituat, haec ad illam applicata demum bene intelligatur: ita ut ternarum compositio totum ambitum fabulae cuiusdam, spectantis ad homines eadem tragica condicione causali fere, ut aiunt, nexu coniunctos, proponat atque illustret. Quod quum ex multis veterum traditionibus fere satis certo concludi posset, Welckerus, plurimis exemplis accuratissime consideratis, ad eam verisimilitudinem produxit, quae omnino in his rebus effici et desiderari potest: in quibus exemplis quod multa parum certa, quaedam procul dubio falsa et iam ab ipso mutata sunt, hoc rei ipsius veritatem nihil labefactabit[219]. Quamquam vero multa obiecta sunt et etiamnum obiiciuntur, id tamen improbare nemo iam conabitur, ternas aut quaternas fabulas saltem usque ad Sophoclem ab Aeschylo editas esse: quod quum solum nunc nobis respiciendum sit, de re ab omnibus concessa disputandi negotio supersedere possumus.

Itaque hunc rerum statum Sophocles invenit. In quo si magnum quiddam iam in externa specie mutavisset, etiam in tanta illa traditionum inopia haud dubie hoc commemoratum foret, praesertim quum a scriptoribus multa saepe narrata sint, quae ad eiusmodi mutationem necessario animum advertissent. Attamen praeter Suidam nullus unquam scriptor vel uno verbo eius mentionem facit. Ipsius autem locum omnes extra Welckerum ita fere intellexerunt, ut Aeschylum quidem tetralogias, So-

---

219) cf. Welck. Aeschyl. tril. p. 482 alibi.

phoclem vero etiam singula dramata edidisse statuerent. Quam sententiam ne aliorum testimoniis prorsus desertam relinquerent, exempla comparare studuerunt, quibus singulas fabulas doctas esse appareret: quae exempla quemadmodum se habeant inquirendum est, et versandum praecipue in iis, quae ante hos triginta fere annos Boeckhius[220]) de hac re statuit. Primum igitur Antigona sola edita esse visa est, propterea quod hac sola, non integra tetralogia poëta praeturae honorem sibi parasse diceretur. At vero hoc ipsum haud ita certum est; Antigona, tricesima altera Sophoclis tragoedia, ex undecima eius trilogia esse potuit:[221]) quod eo facilius crediderim, quum poëta illum civium amorem Antigona sola sibi parasse diserte dictus non sit, sed ἐν τῇ διδασκαλίᾳ Ἀντιγόνης: quod eodem iure ἐν τῇ τριλογίᾳ Ἀντιγόνης esse contenderis. Neque deinde quoquam certius de Philocteta indicari potest, de quo didascaliae: ἐδιδάχθη ἐπὶ Γλαυκίππου· πρῶτος ἦν Σοφοκλῆς. Quae verba tamen nihil significant, nisi vicisse Sophoclem, quum Philoctetam doceret; et aptissime de Aeschyli Eumenidibus prorsus eodem modo dici potuit: ἐδιδάχθη ἐπὶ Φιλοκλέους· πρῶτος ἦν Αἰσχύλος; quamquam ex trilogia fabulam fuisse certissimum est. Atque in argumento Medeae Euripidis: ἐδιδάχθη ἐπὶ Πυθοδώρου: ubi quod paulo post singularum tetralogiae fabularum nomina adscripta sunt, hoc aliquanto maiori scriptoris curae debemus, idem-

---

220) De trg. Gr. p. 105. sqq.
221) cf. Welck. libr. l. p. 509.

que in argumento Philoctetae optime fieri potuit, nisi auctor omnino iusto brevior fuisset. Tum si Plato [222]) Agathonem τῇ πρώτῃ τραγῳδίᾳ vicisse dicit, hoc nihil aliud esse putandum est, ac si dixisset τῇ πρώτῃ διδασκαλίᾳ, quum primum fabulam docuit, praesertim quum scriptorem nihil nisi tempus indicare voluisse loci ratio ostendat. Imprimis autem Oedipum Tyrannum huc non referendum fuisse censeo: quae quidem a Philocle victa esse traditur, nullis aliarum fabularum additis nominibus. [223]) Sed iam si forte, quod fere videtur, Oedipus praecipua trilogiae fabula fuit, ceterae non aeque insignes, ita dici omnino debuit. Philocles autem, et affinis Aeschyli et in eiusmodi rebus totus ei deditus, singularem fabulam vix unquam docuerit; ita ut ne Sophocles quidem ei singularem opponere posset.

Itaque haec exempla, ut probarent quod aliunde fere constaret, satis apta, ipsa per se nihil efficiunt. Qui vero totam rem accurate perspexerit, vix quidquam a Sophocle imprudentius institui potuisse videbit, quam ut pro trilogia singularem fabulam ederet. Apertum est enim, hanc mutandi rationem, qua quod magnum et praecipuum fuisset, ad parvum et exile detraheretur, parum gratiae inventori suo afferre potuisse: ac tamen trilogiam quod spectat et ad artem et ad dignitatem singulari fabula longe praestantiorem fuisse vix credo a quoquam

---

222) Sympos. exord. p. 173. a.

223) cf. arg. fabulae; Ael. Aristid. t. II. p. 422.

negatum iri. Praeterea quum Graeci adeo rebus scenicis faverent, ut imprimis Athenis integri dies a mane ad vesperum docendis fabulis constituti essent; putasne laude affectum fore, qui ut quatuor tantum fabulae docerentur instituisset, quo tempore duodecim spectare Athenienses consuevissent? Vix putabis. Accedit, quod confusionis modus esse non posset, si partim trilogiae, partim singula dramata ederentur. Alterum enim poëtam unam tantum fabulam docuisse, alterum trilogiam neque consentaneum est, quippe quo certamine re ipsa iubente alter longe inferior fuisset, neque vero ullo veterum testimonio nititur. Itaque quid faciendum fuisset, si esset qui singularem tragoediam exhibere vellet, alii autem trilogiam ederent? Ac tamen quum singularem tragoediam editam esse certis argumentis plane nullis firmari possit, ternas fabulas etiam post Sophoclem satis frequenter editas esse constat.[224]) Maximi autem momenti est, quod et antea et postea ternarum vel quaternarum fabularum unam tantum victoriam fuisse scimus: ita ut etiam una fabula quemquam certasse et victoriam reportasse plane iniquum fuisset. Sophocles autem quum, etiamsi minimum numerum statuis, duodevicies primus, rarius secundus renunciatus sit, nunquam vero posterior fuerit; ipse hic numerus satis certo argumento est, ternas aut quaternas fabulas semper una

224) cf. Ael. var. histt. II. 8.; argum. Med. Eurip.; schol. ad Arist. Rann. v. 67. ad Aves, v. 282. alios. cf. Diog. Laert. III. 56. Boeckh. Corp. Inscriptt. I. p. 354. extr.

editas esse: propterea quod ipsarum numerus cum victoriis nullo alio modo conciliari potest.

Iam vero ad rectum inveniendum viam munivimus, et sine erroris periculo Suidae istum locum considerabimus: αὐτὸς ἦρξε τοῦ δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι, ἀλλὰ μὴ τετραλογίαν. Docueritne Sophocles singularem fabulam, qui cum eo pugnarent, trilogiam? At tum dicendum fuit δρᾶμα πρὸς τριλογίαν, non δρᾶμα πρὸς δρᾶμα. An vero etiam hi unam tragoediam opposuerint? Tum non Sophocles huius rei inventor nominari debuit, sed eodem iure Aeschylus aut qui reliqui cum eo certarent.[225]) Sed nihilominus, Welckerum si exceperis, omnes fere locum eo modo interpretati sunt, quamquam et res et grammatica ratio aliam sententiam flagitat. Namque ἀγωνίζεσθαι non solum certare significat, sed etiam simpliciter docere fabulam;[226]) δρᾶμα πρὸς δρᾶμα accusativus est, non pendens ab ἀγωνίζεσθαι, sed frequentissimo usu is, quem per κατὰ grammatici explicant; eodem modo in eodemque ordine τετραλογίαν, ad quod minime ex prioribus πρὸς suppleri debet. Haec flagitat lex grammatica et non nisi hac ratione verum inveniri potest. Itaque δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ad solum Sophoclem perti-

---

225) cf. Welck. tril. p. 509.

226) cf. Ar. Rann. 147. τἀρχαῖ' ἐκεῖν' οἷς Θέσπις ἠγωνίζετο· quem certamina non inisse auctor est Plut. Solon. 29. οὔπω εἰς ἅμιλλαν ἐναγώνιον ἐξηγμένος: quem locum sine causa viri docti sollicitasse mihi videntur, quum qui primus fabulas docere coeperit, eum res ipsa ostendat non statim cum adversario certare potuisse.

net, non alterum δρᾶμα ipsius, alterum alius tragici putandum est: quum quae ipse in sua docendi ratione aliter instituerit, quaeque postquam ipse incepit, non una cum eo, etiam alii fecerint, dicatur. Quamobrem δρᾶμα πρὸς δρᾶμα idem erit atque si dictum esset κατὰ δράματα, ut πρὸς pro ἐπὶ intelligatur: quod Suidae facile condonabis. Omnibus sic illustratis hic loci sensus est, Sophoclem primum dramata edidisse, quae tetralogiae vel trilogiae naturam et compositionem non habuissent. Atque hanc veram aptissimamque sententiam esse re ipsa satis firmatur. Primum enim tres tragoediae, unaquaeque per se ipsam perfecta, amplitudine et effectu trilogiam facile superaverunt, ita ut iis pro trilogia docendis Sophocles haud dubie plurimorum gratiam sibi conciliaret; tum ante eum quotquot inveniuntur tetralogiae, rerum quadam serie coniunctae fuerunt, postea plurimae non fuerunt; denique nulla nisi hac ratione difficultatum et dubitationum multitudo propelli potest. Consulto autem in hac disputatione omisimus, quae ex numeris dramatum Satyricorum, quos viri docti statuerunt, forsitan huc referri potuissent, quum iis omnino vix quidquam certius reddituri fuissemus. Partim enim numeri isti ipsi non certi sunt, et coniecturis varie tentati, [227]) partim drama Satyricum non necessario post unamquamque trilogiam editum, atque adeo interdum quatuor tragoediae videntur doctae esse,

227) cf. Casaub. de poësi Satyr. p. 166. Boeckh. de trg. Gr. p. 28. cf. Welck. trilog. p. 581. n. 836. additt. p. 89.

postrema Satyrici dramatis locum tenente; quod quum iam dudum coniici forsitan potuisset ex argumento altero Alcestidis Euripideae, quo Alcestidem Satyricam quodammodo esse (τὸ δρᾶμα ἐστὶ σατυρικώτερον) tradit grammaticus, nunc in hac ipsa Euripidis fabula factum esse legitur ap. Dindorf. praef. ad Alcest. p. 6. ed. Oxon.

In tragoediae originibus inventa quaeque cuius auctoris sint propter testimoniorum inopiam et eorum repugnantias constituere difficillimum est. Multa tamen atque gravia etiam a Sophocle inventa esse inter omnes constat. Primum, quod ad excolendam tragoediam maximi momenti fuit, ipse auctoribus plurimis [228]) primus tertio in scena actore usus est. Tot ac tam diserta quum multorum testimonia sint, tamen aliter a quibusdam rem narrari mirandum est. In Robortelliana Aeschyli vita αὐτὸς τὸν τρίτον ὑποκριτὴν ἐξευρεῖν traditur: quamquam ibidem a Dicaearcho hoc inventum ad Sophoclem relatum esse legimus. At quam tandem auctoritatem Dicaearcho, viro literatissimo atque ipsius Aristotelis discipulo, maiorem scriptor sequutus est, ut hunc relinquere posset? Forsitan ipsius praeceptoris, quem sunt qui alibi aliter atque in libro de poëtica statuisse dicant. Maxime memorabilis locus Themistii est, [229]) hic adscribendus propter sensum pro diversa distinguendi ratione diversum: Ἀλλὰ καὶ ἡ σεμνὴ τραγῳδία μετὰ πάσης ὁμοῦ τῆς σκευῆς καὶ τοῦ χοροῦ

228) Arist. poët. IV. 16.; auct. vit. Soph.; Diog. Laërt. III. 34.; Suid.

229) Orat. XXVI. ὑπὲρ τοῦ λέγειν p. 316.

καὶ τῶν ὑποκριτῶν παρελήλυθεν εἰς τὸ θέατρον· καὶ οὐ προσέχομεν Ἀριστοτέλει, ὅτι τὸ μὲν πρῶτον ὁ χορὸς εἰσιὼν ᾖδεν εἰς τοὺς θεούς· Θέσπις δὲ πρόλογόν τε καὶ ῥῆσιν ἐξεῦρεν. Αἰσχύλος δὲ τρίτον ὑποκριτὴν καὶ ὀκρίβαντας· τὰ δὲ πλείω τούτων Σοφοκλέους ἀπελαύσαμεν καὶ Εὐριπίδου. **Sic scriptus est locus apud Lessingium,** [230]) **qui primus ad hunc usum eum adhibuit. Dixerat Themistius, non quaecunque nova essent reiici debere, quum etiam artes et literae sensim ad maiorem perfectionis gradum productae essent. Sed ad hoc demonstrandum quid ista sententia? Omnes artes sensim inventae sunt, et tamen tragoedia cum omni simul apparatu et choro et actoribus in theatrum venerit? Et ne cum Aristotele quidem consentire vult Themistius? Nullum vero auctorem tutius sequi poterat. Legendum igitur et interpungendum signo interrogationis post** θέατρον **et** Εὐριπίδου: [231]) **»Processitne autem magnifica etiam tragoedia cum omni simul apparatu et choro et actoribus in theatrum? et nonne assentimur Aristoteli, primum quidem chorum procedentem cecinisse deos, Thespin vero prologum et sermonem invenisse, tertium histrionem et pulpitum Aeschylum: et quae plura sunt ab Sophocle et Euripide profecta esse?« Quae ut cum reliquis testi-**

---

230) Vit. Soph. p. 122. Igitur ante Tyrwhittum ad Ar. poët. p. 131. cf. Welck. de dram. Sat. p. 259.

231) Etiam apud Welck. de dram. Satyr. p. 268 sqq. locus parum recte scriptus est; rectius, quod ad sensum attinet, ap. Schneid. de origg. trag. Gr. p. 18. n. 4. Ac tamen non satis accurate expressa est sententia in novissima Themistii editione a Dindorfio instaurata.

moniis concinant, variis rationibus effici potest: Aristotelem enim secum pugnantem ipsum alicubi Aeschylo tertii in scena actoris inventionem tribuisse quum per se, tum propter consensum discipuli Dicaearchi vix concedendum esse credo. Aut igitur apud Themistium, errore nescio qua ratione orto, pro τρίτον intelligendum est δεύτερον; quae coniectura his nititur causis: primum hoc si statuimus, non opus est, ut quae inter se repugnent Aristotelem scripsisse credamus; tum si τρίτον pro vero habemus, de eo qui alterum actorem primus addidisset, Themistius omnino nihil dicit, quum Thespin non nisi uno usum esse constet: ac tamen ut etiam illud commemoraretur rerum ordo poscebat; denique ne Sophocles quidem et Euripides pluribus, quam tribus, histrionibus usi sunt; id quod tamen ex eo loco fere colligendum esset. Aut verisimilius etiam cum Dahlmanno [232]) statuendum, a Themistio chorum pro πρωταγωνιστῇ habitum esse; quod si feceris, totam rem facillime explicabis. Etiam quod in Robortelliana Aeschyli vita de hac re legitur, hoc ipsum, quamvis per se solum parvae auctoritatis, ex illo Themistii loco profectum esse potest: ita ut adeo melius omnia concinant et Sophoclem procul dubio pro inventore tertii actoris habendum esse confirment. Quod vero etiam in compluribus Aeschyli fabulis tertius actor invenitur, id quemadmodum explicandum sit iam ab aliis mo-

---

232) De prim. et succ. vet. com. p. 21. 42. cf. Welck. tril. p. 515. n. 804. de dram. Satyr. p. 268. sqq.

nitum est.[233]) Illud enim, quippe non obvium nisi in posterioribus huius poëtae fabulis, a Sophocle acceptum alii bene in usum suum convertere potuerunt vel potius debuerunt, ex quo primum institutum erat. Est autem res ita intelligenda, ut antea tres actores non simul egerint et colloquunti sint. Atque adeo in ipsius Sophoclis tragoediis si ad singulas scenas animum accurate attenderis, vix te fugiet, quam caute et moderate vel ab ipso tertius actor eiusdem colloquii una cum reliquis duobus particeps factus sit: qui ubicunque in scena versatur, sermonis partem sumere non solet, nisi altero forsitan a colloquio recedente.

Maiores autem dubitationes in alia re oriuntur, non expediendae illae, nisi quae disertiora sunt testimonia, iis maximam fidem habeas. Suidas igitur et cum eo omnino consentiens auctor vitae Sophoclem primum ex quindecim personis chorum instituisse dicunt, quum antea duodecim fuissent; quod certissimis verbis expressum omni dubitatione videtur carere. Quae quidem orta est ex loco Pollucis;[234]) qui, quum Aeschylus quinquaginta Eumenidas induxisset, populum earum numero terribilique visu vehementer consternatum, repentinosque prae terrore mulierum partus editos esse narrat: ita ut lege sancitum esset, ut ne chorus consisteret ex pluribus, quam quindecim personis. De terrore illud commentum esse, ortum ex epigramma-

---

233) cf. Welck. tril. l. l.

234) I. 4. c. 15. §. 110. cf. vit. Aeschyl.

tistarum vel comicorum iocis primus monuit Boettigerus,[235] cui assentiuntur alii fere omnes.[236] Ipsam vero legem Hermannus non exstitisse credit, neque unquam quinquaginta chori personas fuisse, nisi quo tempore totus cyclicus esset. De numero quinquaginta quid faciendum, praeclare explicatum est ab O. Muellero.[237] Namque χορηγὸς sive is qui chorum exstruebat, quinquaginta vel quadraginta octo χορευτὰς exornare debebat: quibus quadripartitis tetralogiae singulis fabulis duodecim personae tributae sunt. Quae quidem ratio quamvis vehementer contradixerit Hermannus,[238] maxime probabilis est et ab auctore suo speciosissimis argumentis ornata. Quamquam enim, ut tradunt Suidas et scriptor vitae Sophocleae, chorus antea ex duodecim personis consistebat; tamen, quod optime monuisse Muellerus videtur, ad edendam tetralogiam quadraginta octo choreutis opus erat, quum e. g. qui in prima Oresteae fabula senes fuissent, iidem non in altera mulieres, in tertia Furias, in dramate Satyrico denique Satyros repraesentare possent. Itaque in singulis his fabulis duodecim chori personae fuerunt. Sed tamen in Agamemnone et forsitan etiam per totam trilogiam quindecim personas fuisse, diserte dictum est a scholiasta Ari-

235) De furiar. person. p. 3.

236) Herm. de chor. Eumen. I. Opusc. II. p. 129. Welck. trilog. p. 519. Naek. Mus. Rhen. Phil. I. 3. p. 500. Quaedam contra dixit Boeckhius de trg. Gr. p. 37 sq.

237) Aeschyl. Eumenid. p. 71 sqq.

238) Annall. Vindob. t. XLV. p. 106 sqq. Opusc. t. VI. p. 127 sqq.

stophanis:[239]) quamquam de Eumenidibus iam Hermannus recte dubitavit, in Agamemnone vero duodecim tantum fuisse etiam aliis argumentis demonstratum est a Muellero.[240]) In universum autem etiamsi hoc aliter esset, tamen nihil obstaret, quominus Suidae et auctori vitae fidem haberemus. Sophocles ex duodecim personis numerum ad quindecim auxit, quod bene Hermannus tuebatur, non auctore, sed nolente ipso Aeschylo hunc numerum secundum Pollucem institutum esse monens; quum numeris conversis pro quindecim ipsum Sophoclem duodecim personas fecisse aliquando cum Bothio Boeckhius[241]) in eo esset, ut crederet: namque grammatici excultam tamen Sophoclis et Euripidis tragoediam magis, quam Aeschyli, respicientes, semper quindecim chori personas commemorant. Illam igitur Sophoclis rationem Aeschylus in Orestea imitari poterat; et quum aliquando, forsitan in ipsis Eumenidibus, aspectu aut quacunque alia ratione chori speciem nimis auxisset, lex illa lata esse potest, qua chori et certa ratio et quindecim personarum numerus, a Sophocle primum usurpatus, constitueretur.

Ad apparatum scenicum quod attinet, res etiam aliquanto magis dubia. Aristoteles[242]) quidem σκηνογραφίαν Sophocli tribuit: sed ante Sophoclem eam

239) Ad Eqq. 586.
240) l. l. p. 72. 74. sqq.
241) de trg. Gr. p. 57.
242) cf. de poët. IV. 16.

prorsus nullam fuisse credi non licet, utpote quae cum agendarum fabularum natura arctissime coniuncta sit. Vitruvius [243]) autem Aeschylo docente Ol. LXXX. Agatharchum primum scenam fecisse et de ea commentarium scripsisse tradit. Quod quam sit dubie et ambigue dictum monuit Welckerus [244]); et quae praecesserunt fabulae, neque paucae, neque adeo simplices, sine scena doceri prorsus non potuerunt. Itaque etiam Aristoteles rem in universum spectasse et credidisse putandus est, a Sophocle scenae descriptionem perfectiorem esse redditam. Disertiora quaedam de hac re secundum auctorem vitae Ister et Neanthes prodiderunt, dicentes Sophoclem τὴν καμπύλην βακτηρίαν et τὰς λευκὰς κρηπῖδας excogitasse. Καμπύλην veteres lexicographi incurvatum scipionem esse dicunt, quo imprimis venatores uterentur; βακτηρία magis generali significatione baculus est. Memorabilis est Pollucis [245]) locus de his rebus: γερόντων δὲ φόρημα καμπύλη, φοινικὶς ἢ μελαμπόρφυρον ἱμάτιον· φόρημα νεωτέρων· πήρα, βακτηρία. In interpretatione apud Hemsterhusium καμπύλη ad φοινικὶς relatum et explicatum est per vestis retorta. Quam quidem falsam esse rationem loco cum Satyri sententia comparato apparet. Καμπύλη incurvatus baculus est, species quaedam βακτηρίας in universum, ad usum scenicum senibus prae aliis accommodata: ita ut

---

243) Praef. ad l. VII. cf. Bentl. Opusc. p. 349.
244) Aeschyl. trilog. p. 515. not.
245) L. IV. 18.

qui eam ferret hac sola de causa sicuti propter canos capillos senex putaretur. Alibi [246]) Pollux καμπύλην βακτηρίαν idem esse dicit, quod βακτηρία Περσίς.

Λευκαὶ κρηπῖδες (alba calceamenta) quales fuerint distingui non potest. Inserviebant autem usui histrionum et choreutarum: unde colligi poterit, non diversas eas fuisse a cothurno, quem vocarunt: quem a Sophocle inventum esse nihil, credo, eo firmatur, quod a Romanis poëtis Sophocleus quidem cothurnus commemoratur, [247]) Aeschyleus, quod sciam, non commemoratur; ibi enim vocem μεταφορικῶς accipiendam esse patet. In universum autem illa de inventis quaestio vix unquam plane absolvi poterit, quum quod aliis testimoniis probatum sit, aliis videatur refelli. [248]) Hoc vero praetereundum non est, quod secundum auctorem vitae Aristoxenus musicus Sophoclem primum ex Atheniensibus poëtis Phrygiam melopoeïam εἰς τὰ ἴδια ᾄσματα intulisse et cum dithyrambico modo miscuisse tradidit. Hunc locum Muellerus [249]) non satis perspicuum esse dixit, Hermannus [250]) autem clarum iudicavit. Qui licet usus loquendi ignarum esse censeat, si quis εἰς τὰ ἴδια ᾄσματα in sua carmina significare non intelligat; mihi tamen hac ratione

---

246) L. X. 173.

247) Virg. Eclog. VIII. 9. Ovid. Amor. I. 15. 15.

248) Praeter locos laudatos cf., vitas Aeschyli; Hor. de art. poet. 323. Philostr. vit. Apoll. I. 2. 21. p. 74. I. 4. 16. p. 152. Gell. N. A. I. 3. 20. alios.

249) Aeschyl. Eumen. p. 92.

250) Opusc. VI. 2. p. 155.

voce ἴδια vix quidquam otiosius videtur esse; eamque Hermanno quidem improbante aut cum Muellero ex Aristotele [251]) ad μονῳδίας, aut ad Attica carmina in universum referendam esse arbitror. Illud autem recte monuit Hermannus, nihil hanc Sophoclis institutionem impedire, quominus etiam in Aeschyli Eumenidibus Phrygios modos adhibitos esse statuamus: quum sicut alia, sic haec ab auctore Sophocle Aeschylus excipere potuerit. Quamquam illud a Sophocle institutum esse verisimile est, quum aetate iam aliquantulum processisset: quo tempore tota fere artis musicae ratio apud Athenienses aliam naturam induit: cuius mutationis, quum in tragoedia musices gravissima pars esset, insignem ad immutandam fabularum naturam vim fuisse et ex re ipsa concludi potest et fabularum ingenio probatur. Postea vero hoc mutationis genus non sine damno tragoediae omnino valuit, quum illa musices ratio in dies ad peius rueret: sed ea temporum indoles fuit.

IX.

DE FABULARUM, QUAE EXSTANT, TEMPORIBUS ET SUCCESSU.

In ipsis rebus constituendis quum maximae dubitationes obortae sint, magis etiam quibus quodque annis et quo ordine inventum vel institutum sit in medio relinquendum est. Neque etiam ex

---

251) De poët. c. 12.

iis, quae exstant, fabulis ad aperiendam earum rerum rationem quidquam colligi poterit, praesertim quum et paucissimae sint et ne ipsae quidem quo quaeque tempore doctae nobis cognitum. Quamquam enim in quibusdam tempus commissionis satis certis finibus circumscriptum est, in aliis tamen vel maxima impensa opera vix tibi continget, ut coniecturam vel opinionem quodammodo probabilem efficias. Attamen ut res gravissima, ita studium quam intentissimum esse debet, ne infectam disputationem relinquamus. Una qui cuiusque fabulae successus fuerit, quoad eius fieri potest, explicabimus.

In universum in hac quaestione versantibus non negligendum est, quo quaeque Sophoclis fabula Aeschyli temporibus propior fuerit, eo magis ad eius formam et indolem accessisse. Huc imprimis haec tria momenta pertinent: primum, quod in antiquioribus fabulis rerum implicatio haud ita composita est, et raro admodum repentinae illae statuum mutationes, quas περιπετείας Aristoteles vocat, inveniuntur: quibus Aeschylus vix ullis usus fuerit, posteri vero in dies magis delectati sunt; tum quod ipsa externa fabularum amplitudo, quantum observari licet, quotannis aliquantulum augeri coepta est, ita ut Euripidis quaedam fabulae versuum numero fere duabus Aeschyli pares sint: quae quamvis incertissima videatur esse observatio, tamen quae in re disertioribus testimoniis adeo destituta respiciatur indigna non est: quod fabularum comparatio unumquemque docebit; denique in ipsis

versibus componendis quo quaeque tragoedia posterior est, eo maior libertas. Quae momenta qui cum disputatione nostra comparare voluerit, maximam partem cum ea congruere et non neglecta esse videbit. Ipsi tamen in re disquirenda ad illa niti et provocare noluimus, quum difficillimum sit ea persuadere illi, qui consuetudine rem ipse non perspexerit: quo fit, ut eiusmodi disputationes plerumque parum probentur et inutiles fere esse videantur.

Iam primum ex iis fabulis, quae exstant, quantum diiudicare possumus, antiquissima est Antigona. Fuit ea fabula Sophoclis tricesima secunda, qua ita delectati sunt Athenienses, ut poëtam cum Pericle ducem crearent: ex quo eum victorem citatum esse certissime colligitur. Illa vero praetura Sophoclem iam Olymp. LXXXIV. 4. functum esse, satis demonstrasse nobis videmur (cf. p. 41. sqq.): unde qui post illud tempus fabulam primum actam esse statuerunt, errasse apparet. Sed quum singuli cuiusque anni duces tertio fere mense ante eius exordium crearentur,[252]) vix poteris dubitare, quin prima Antigonae commissio in finem anni tertii Olympiadis octogesimae quartae inciderit; quamquam Suevernius et Wexius nimio mediocritatis studio ducti quartum annum retinendum esse censuerunt. Eo tempore, medio fere mense Elaphebo-

---

252) cf. Schoemann. de comitt. p. 313. sqq.; Boeckh. de Antig. p. 54.

lione, quarto a fine anni Attici, Διονύσια τὰ ἐν ἄστει celebrabantur, quibus novae fere tragoediae praestantissimorumque poëtarum edi solebant. His igitur solemnibus Antigonam editam esse omnium rerum ratione comprobatur: quapropter hoc pro certo habendum est.[253]).

Sed propter insignem gratiam ab Atheniensibus huic fabulae tributam saepius eam editam esse per se verisimillimum est: quamquam, quod dicit Manso,[254]) bis et tricies doctam esse unde sumtum sit nescio; nisi forte ex interpretatione minus accurata loci in argumento Aristophanis, qui Antigonam tricesimam secundam Sophoclis fabulam fuisse dixit. Ad rem vero pertinet, quod Satyrus secundum vitae scriptorem ex Antigona publice quaedam legentem poëtam éxstinctum esse voluit. Namque hanc lectionem in instauranda fabulae editione factam esse, et, quippe per se verisimillimum, coniectum est a viris doctis. et colligi licet ex sequentibus, quum eandem τοῦ δράματος ἀνάγνωσιν diserte ad certamen tragicum spectare appareat. Ipse vero Sophocles ad id senectutis provectus personam fabulae sustinuisse nullo pacto credendus est, utpote qui ne iuvenis quidem nisi admodum raro actoris partes susceperit: quamquam cum actoribus apud scenam videtur versatus esse. Vivente poëta qui

---

253) cf. Boeckh. de trg. Gr. p. 107. sq. 137.; Petit. Misc. III. 18.; Bentl. epist. ad Mill. p. 528. Musgrav. chron. scen. ad h. ann.; Boeckh. additt. ad comm. de Antig. p. 234. sq.

254) Additt. ad Sulz. theor. II. p. 243.

Antigonam egerint incertum est; sed circa tempora Demosthenis et Theodorum et Aristodemum, celeberrimos actores, saepe Sophoclis Antigonam egisse ipse orator testatur:[255]) quod quoties factum sit nescimus.

Ex reliquis quae sit proxima fabula diiudicari non facile potest: quamquam nos Oedipum Regem huc referendum esse arbitramur. Quae quo successu et quo tempore docta sit, non diserte quidem, sed ut tamen aliquam sententiam tibi efficere possis, in argumento dictum est. Ad successum quod attinet, res memoratu dignissima. Certavit enim Sophocles Oedipum Regem edens cum Philocle, Aeschyli consobrino: a quo hoc certamine eum victum esse, et veteres mirati sunt et recentiores.[256]) Forsitan non sine respectu ad hanc victoriam Aristophanes[257]) saepe Philoclem perstrinxit, eundemque cum Sophocle conferens eius scholiasta[258]) ἄγριον ἐν τῇ μελοποιΐᾳ, Sophoclem ἡδὺν nominavit. Aristoteles in libro de poëtica Oedipum quasi normam recti saepissime laudavit. Disertior autem Dicaearchi sententia est, quem improbasse, quod Philocles Oedipum vicisset, argumentum fabulae osten-

255) De fals. leg. p. 418. (t. IV. p. 378. ed. Bekk.)

256) Muret. var. lectt. I. 13. Lessing., Jacobs., Manso, Schlegel., Solger., contra quos nullus est Voltarius, qui lettre critique sur le nouvel Oedipe Sophoclis fabulam par la bizarrerie des événemens scenae parum accommodatam esse iudicavit; quem fere sequitur Kannegiesserus Progr. Prenzlav. 1817.

257) Avv. 275. 1208 ibq. schol. Vesp. 448. Thesmoph. 128.

258) Ad Vesp. 448.

dit. Magis etiam Aelius Aristides [259]) circa rem versatur, adeo nihil inter Sophoclem et Philoclem comparationis intercedere dicens, ut vel audire, se hoc meliorem esse, Sophocli dedecori fuisset. Ac sane ea est fabulae praestantia, ut Athenienses Philocli victoriam tribuentes parum recte de eo certamine iudicasse, Dicaearcho et Aristidi facile concedas: nisi forte non nullius momenti hoc existimaveris, quod Oedipi Regis, ut fabulae coram Atheniensibus actae, finis nimis atrox et iniquus videtur fuisse. Quod quum minime sit negligendum, si deinceps Oedipus Coloneus data esset, qua fabula regis sors ad aequabiliorem statum convertitur et placatur, vix a quoquam Sophocli palmam eripi potuisse censeo. Ipsum autem secundum renunciatum esse, etiamsi posteriorem nunquam fuisse in vita diserte monitum non esset, in hoc certamine propter veterum indignationem de non tributa Sophocli victoria magis etiam ab omni dubitatione vindicatur.

Tempus fabulae in argumento non plane quidem neglectum, sed admodum incertis finibus circumscriptum est. Satis iocose auctor dicit, omnes fabulam libenter τύραννον inscripsisse, ut eminentem ex tota Sophoclis poësi. Addit autem, alios p r i o r e m Oedipum inscripsisse, non R e g e m, propter rerum seriem et t e m p o r a in d i d a s c a l i i s c o n s t i t u t a. Sed ante Oedipum Coloneum editam esse fabulam nihilo distinctius est, quam ante poë-

259) Oratt. t. II. p. 422.

tae mortem doctam dicere. Acceptissimi igitur ad tempus accuratius constituendum Athenaei duo loci sunt. Is primum,[260] Clearcho auctore, Calliam Atheniensem γραμματικὴν τραγῳδίαν composuisse tradit, ad cuius exemplum Euripides in Medea, Sophocles in Oedipo, carmina et dispositionem instituissent. Qualis fuerit illa tragoedia multi explicare conati sunt; vera haud dubie Welckeri[261] sententia est, demonstrantis, fuisse eam libellum ad pueros primis literarum initiis instituendos. Sed haec utcunque erunt: Euripidis Medeam et Sophoclis Oedipum eodem fere tempore compositas credidisse Clearchum apparet. Deinde idem tradidit,[262] audito Euripidem in Medea Calliae obsequutum esse, Sophoclem quoque complura ab eo instituta excepisse, laudans Oedipi versum 333. in quo póëta literam in fine versus eliserit. Idem, in eadem fabula saepius factum, Hermannus[263] ab omnibus tragoediis ante Oedipum Tyrannum actis auctore Athenaeo abiudicandum monuit. Quod si vere dixit, ipsam fabulam statim post Medeam conscriptam esse apparet. Quae quum archonte Pythodoro, Ol. LXXXVII. 1. edita sit,[264] Oedipus in alterum fere annum eiusdem Olympiadis inciderit. Quod quidem eo credibilius est, quum pestilentiae commemoratio in exordio fabulae aptissime ad id tempus referatur:

---

260) Lib. VII. p. 276. a.
261) Mus. Rhen. Phil. I. 1. p. 137. sqq.
262) Secund. Athen. X. p. 453. e.
263) vid. Opusc. I. p. 139. cf. Elem. doctr. metr. p. 36.
264) cf. fab. argum.

quem morbum ineunte bello Peloponnesiaco notum est Athenis exarsisse: est ea Jacobi[265]) sententia, qui etiam extremos fabulae versus non cum Hermanno[266]) ad Cleonem, sed potius ad Periclem spectare coniicit.

Quae quum optime omnia conveniant, fere probabilia esse arbitror. Licet enim, quod Athenaeus Sophoclem et Euripidem ex Calliae grammatica illa tragoedia quaedam in usum suum transtulisse dicit, id prorsus reiiciendum et fortasse male intellectis comicorum locis confictum esse cum Welckero[267]) confitendum sit; hac ratione illud tamen labefactari non videtur, Medeam atque Oedipum eodem fere tempore editas esse, et Sophocleam quidem fabulam post Euripideam. Hoc saltem crediderunt Clearchus et Athenaeus: quos tamen utrosque neque Medea quando edita esset fugit, neque vero facile Sophoclis Oedipus; quum etiam huius fabulae tempus definiisse didascalias, et ipsas diu exstitisse ex argumento illo appareat. Quibus reputatis non possum, quin fabulam circa Olymp. LXXXVII. 2. doctam esse statuam.

In aperiendo tempore et successu Trachiniarum magis etiam ab omnibus testimoniis destituti sumus. Itaque nisi prorsus non tentatam hanc quaestionem omittere volumus, numquid ad eam illustrandam ex ipsa fabula effici possit videndum

---

265) Quaestt. Soph. p. 287.
266) cf. Erfurdt. annot. ad Oed. Reg. v. 1512.
267) l. l. p. 149 sqq.

est. Quam viam praeivit Jacobus, [268]) ut mihi quidem videtur, satis laudabili cura atque diligentia; quamquam Hermannus [269]) totam eius disputationem et anni, quo sit acta fabula, definitionem, nimis longe repetitam esse iudicavit. Sed quod Iacobus ex universo fabulae ingenio propter egregiam cognitionem et adornationem earum rerum, quae in iuvenibus, praesertim Athenis illa aetate, haud ita facile invenirentur, a poëta aetate iam provecto eam compositam putat; id sane quum nulla exstet Sophoclis fabula, quam ab iuvene scriptam esse sciamus, ad probandum longe difficillimum erit: quamquam si ex primis poëtae tragoediis complures servatae essent, instituta comparatione haud dubie multa illustrari possent. Aliquod momentum ad rem constituendam ex similitudine Trachiniarum cum aliis fabulis petendum Iacobo visum est, quum in illa tragoedia sicuti in Oedipo Tyranno praecipuum Sophoclis studium comprobandi oraculorum veritatem cernatur: quo etiam similitudinem cum Euripidis Medea et Hippolyto referendam duxit. Quibus admodum fallacibus quidem argumentis ductus tempus actae fabulae in Ol. LXXXVII. incidisse coniiciens non sine veri quadam specie versus 1112 et 1113:

ὦ τλῆμον Ἑλλὰς, πένθος οἷον εἰσορῶ
ἕξουσαν, ἀνδρὸς τοῦδέ γ' εἰ σφαλήσεται

ad Periclem spectare statuit, qui eodem tempore

268) l. l. p. 285.
269) Praefat. ad Trach. p. VIII.

pestilentia correptus paulo post obiisset. Et re vera aeque facile fieri potuit, ut spectatores his versibus auditis de Pericle commonerentur, quam ut omnes ad Aristidem converterentur, audito Aeschyli versu:[270])

οὐ γὰρ δοκεῖν δίκαιος, ἀλλ᾽ εἶναι θέλει.[271])

Quid quod versus ex fine Hippolyti Euripidis:[272])

ὦ κλεῖν᾽ Ἀθηνῶν Παλλάδος θ᾽ ὁρίσματα,
οἵου στερήσεσθ᾽ ἀνδρός· ὦ τλήμων ἐγώ·

ad Periclem spectare omnes contendunt?[273]) Qui tamen adeo iidem sunt atque quos ex Trachiniis laudavimus, ut utrosque ad rem prorsus eandem et quadrare et referendos esse appareat; quos ab interpretibus inter se collatos non esse mirandum est. Quo accedit, quod eidem coniecturae et propter simillimam morbi descriptionem et inde haud parum verisimilitudinis et certae fere probabilitatis conciliatur, quod Sophocles illam laudem vix cuiquam libentius, quam ipsi Pericli tribuit; ad quem adeo res ipsa aptius fere refertur, quam ad Herculem. Itaque fabulam actam censeo Ol. LXXXVII. 4., archonte Aminone vel, ut alii volunt, Epaminone.[274]) Sic etiam illud facile explicatur, quod Phrygii modi, quos Sophocles primus in tragoediam transtulit, in

---

270) Sept. adv. Theb. 583.

271) cf. Plut. apophthegm. p. 186. a. Xylandr.

272) v. 1395. ed. Both.

273) cf. Boeckh. de trg. Gr. p. 181. Jacob. Quaestt. Soph. p. 287.

274) Matthiae ad arg. Hippol. ex Corsin. F. A. III. p. 231. cf. Dodwell. annall. Thucyd. p. 657. ed. Lips.

hac fabula reperiuntur; [275]) qui quum ad posterius tempus magis pertineant, ipsi quoque fabulam non ex primis a Sophocle editis esse quodammodo ostendunt. Monendum autem restat, inveniri in Trachiniis insignes quasdam scripturarum diversitates talesque nonnullorum versuum coniunctiones, ut prorsus tautologicae, ut aiunt, nihil, nisi quod iam dictum significent. Qua re commotus Hermannus [276]) duplicem exstitisse fabulae recensionem coniecit, illasque discrepantias ex altera in alteram transferendo ortas esse; quae sententia maxime probabilis est.

Iam ad Aiacem transeundum erit. Quamquam etiam haec fabula quando edita sit, constitui nequit, hoc tamen opera virorum doctorum effectum est, ut, quum alter alterius argumenta refelleret, rationem ostenderent, qua aliqua saltem temporis definitio inveniri potest. Primus de hac re Boeckhius [277]) aliquando statuit, actam esse fabulam ante Philoctetam sive ante Ol. XCII. 3., quod coniici liceret ex v. 412. et praesertim ex 1047 — 1057, ubi aperte Aiacis exitus respiceretur. Res per se verisimillima est, quum Philocteta in extrema Sophoclis senectute edita sit; argumentum vero sicut dudum a Lobeckio [278]) improbatum, sic non iam ab ipso auctore probabitur. Distinctius autem est,

---

275) v. 216. cf. Mueller. ad Aeschyl. Eumen. p. 91.

276) ad Trach. v. 7. 12. 84. 87. 523. sqq. 784. 894. praef. p. XIII. sq.

277) de trg. Gr. p. 137.

278) ad Soph. Aiac. v. 236. p. 257.

quod ostendit Clementis Alexandrini [279]) locus, quem Elmsleius [280]) ad hunc usum protulit. Clemens in commemorandis furtis illis, quae Sophocles fecisset, et alia refert et haec: ἔτι Εὐριπίδου μὲν ἐν τῇ Μηδείᾳ εἰπόντος· (v. 618 Pors.)

κακοῦ γὰρ ἀνδρὸς δῶρ' ὄνησιν οὐκ ἔχει

Σοφοκλῆς ἐν τῷ Αἴαντι τῷ μαστιγοφόρῳ ἐκεῖνό φησι τὸ ἰαμβεῖον· (v. 650.)

ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα κοὐκ ὀνήσιμα.

Quod si vere et accurate Clemens vel, quem ille sequutus est, Porphyrius indicavit, Sophoclis Aiax post Euripidis Medeam sive post Ol. LXXXVII. 1. docta est. Hermannus inesse quaedam in ipsa fabula coniecit, quae ad condicionem illorum temporum necessitudinem quandam ostenderent. Sunt ea longe incertissima et quae nunquam, credo, certiora reddi poterunt; sed ne quid in hac tanta rerum inopia omisisse videamur, tamen paucis commemoranda. Ille igitur versus Aiacis 1329

τόν τοι τύραννον εὐσεβεῖν οὐ ῥᾴδιον

v. 1338. ἦ κάρτα πολλοὶ νῦν φίλοι καὖθις πικροί

v. 1340. σκληρὰν ἐπαινεῖν οὐ φιλῶ ψυχὴν ἐγώ

videri sic dictos esse arbitratur, quasi poëta ad Cleonem respexisset, cuius neque ingenium probaret, nec stabilem gratiam apud populum fore praediceret. Quod si verum sit, aliquando post mortem Periclis sive post Ol. LXXXVII. 4. fabula docta esse debet, quum illo

279) Stromm. VI. p. 740.

280) ad Eurip. Med. v. 605.

vivo, utpote nulliusdum auctoritatis, Cleo respiciendus non esset. Cecidit autem hic apud Amphipolin Ol. LXXXIX. 2. Unde collegeris, Aiacis commissionem in finem fere Olympiadis octogesimae octavae, vel sequentis initium incidere. Accedit, quod Hermannus versum 326. propter tribrachum pro trochaeo a voce dissyllaba incipientem notandum esse dicit, quod genus circa Ol. LXXXIX. invaluisset. Sed accuratius in illos fabulae locos inquirentibus facile apertum erit, posse quidem, si eo tempore Aiacem doctam esse certum sit, ad Cleonem ipsis respectum esse: quod quum non constet res ab aliis [281]) iure videtur improbata esse. Quamobrem haec de tempore, ut sunt, incerta fere relinquimus, valde dolentes quidem, quod nobis nondum comperta est opinio, quam probabilem a viro docto, de Sophocle merito, secum ante complures annos communicatam esse Welckerus [282]) dixit. Illud autem ut memoria dignissimum, ita ne nobis quidem omittendum est, Caesarem Octavianum Augustum magnam operam in Aiace fabula scribenda posuisse: quam utrum ipse ex narrationibus antiquis componere, an ex Sophoclis, vel Theodectis, vel Astydamantis iunioris fabulis cognominibus [283]) in Latinum sermonem transferre voluerit, non satis firmo argumento effici potest, quamvis plurimi quasi rem certissimam Sophocleae fabulae interpre-

281) Welck. Mus. Rhen. Phil. III. 2. p. 262. sq.

282) l. l. p. 257.

283) cf. Aristot. Rhet. II. 23. Fabric. Bibl. Gr. II. p. 289. 323. (Harl.); Osann. de Soph. Aiac. p. 69. sqq.

tationem intellexerint. Auctorem enim in hac re unicum Suetonium [284]) sequi debemus, cuius quidem verbis multo verisimilior redditur sententia, imperatorem ipsum fabulam composuisse, non convertisse ex Graeco exemplo: quod ea aetate et inter eruditos Augusti amicos omnino non moris fuisse videtur. Minime enim mihi quidem dubium est, quin ex sua ipsius mente narrationem exornaverit Io. Laurentius Lydus, [285]) qui disertissime totam rem exponit. Is a Cicerone, παρ' ᾧ μετὰ σπουδῆς ἐπαιδεύετο, Augustum de Aiace interrogatum esse dicit, et iam perfectam fabulam quum Sophocle indignam iudicasset, abolevisse. Haec vero partim aperte falsa sunt, alia a Suetonii narratione aliena: quae quum eodem modo a nemine veterum [286]) tradita sint, ab ipso Laurentio nimio exornandi studio addita ideoque haud idonea esse arbitror, quibus Suetonii narrationem suppleamus vel corrigamus. Imperator autem magno cum impetu tragoediam exorsus stilo non succedente abolevit, quaerentibusque amicis, quidnam Aiax ageret, respondit, Aiacem suum in spongiam incidisse. Non infacete dictum,

---

284) Vit. Aug. c. 85. cf. Rutgers. Var. lectt. II. 19. p. 154. ed. Lugd. Bat. 1618. Id. p. 176. de Caesaris Augusti scriptis satis accurate disputans eius Aiacem atque Achillem (hunc a solo Suida commemoratum) unam tantum fabulam fuisse coniecit: quod verisimile est.

285) de menss. c. XII. p. 49 sq. ed. Schow. (p. 130. ed. Roether.)

286) cf. Macrob. Saturn. II. 4. Suid. s. v. Αὔγ.

quum imperatoris Aiax non minus, quam qui in gladium se coniecit, exstinctus sit.

Fabulae successus qui fuerit, non traditum est. Platonem eam maximi fecisse inde apparet, quod imitando eam in Theaeteta p. 191. a. expressit. [287]) Nihil fere docemur epigrammate, quod Victorium argumento Aiacis adiunxisse Thierschius [288]) tradit:

Εὗρες, Σοφόκλεις, ἐν σοφοῖς μέγα κλέος·
ἀλλοτρίας γὰρ συμπλέκων τραγῳδίας
ἅπαντας ἡμᾶς κενθίμους ἀπειργάσω. —

In quibus constituendis si aliquam temporum definitionem assequuti sumus, in Electra res desperanda videtur. Sed ne prorsus indictam eam relinquamus, iam primum monere liceat, reperiri in fine versus 1017. elisionem illam, quam Hermannus Athenaeo auctore ab omnibus fabulis abiudicandam censuit, quae ante Euripidis Medeam et Sophoclis Oedipum Regem editae essent. Quod argumentum licet non infirmetur eo, quod etiam in Antigona v. 1031. eadem elisio est, tamen longe incertissimum est. Aliquid forsitan ex descriptione certaminum Pythiorum potest colligi. In eä (v. 722) verbis:

δεξιὸν τ᾽ἀνεὶς
σειραῖον ἵππον, εἶργε τὸν προσκείμενον

videri ad bigarum certamina respectum esse Hermannus monuit. Bigis autem certari in ludis Olympiis Olympiade XCIII. demum coeptum est; in ludis Pythiis Pythiade XLVIII. sive Olympiade

287) cf. Boeckh. de trg. Gr. p. 123.
288) Actt. Phil. Monac. I. 2. p. 323. not. 6.

XCV[289]). Primam enim Pythiadem debere computari ab Olympiade XLVIII. 3. comprobavit Boeckhius[290]), Clintonem[291]) errare monens[292]), qui Ol. XLIX. 3. statuit. Illam autem temporum permutationem solo anachronismi nomine notare non licet[293]); quum si qua ex posteriore tempore in antiquius poeta transfert, ea certe ipso vivente cognita esse debeant: Sophocles autem Ol. XCIII. mortuus est. Itaque si fides est Pausaniae, quocum Eusebius in chronico plane consentit, bigarum illa commemoratio explicari non potest, nisi forte haud diu ante hanc Olympiadem fabulam compositam esse statueris, quo tempore de instituendis eiusmodi certaminibus multa iam passim ferrentur. Ad Pythia vero in tota illa descriptione minus respectum est, quam contra ad Olympiorum rationem expressam esse comparatio cum Pausania l. l. unumquemque docebit. Quae si probabiliter disputata sint, Electram non ante Ol. XC. doctam esse censeri liceat. Sed ne quis acerbitatem fabulae in quibusdam locis vehementissimam a iuvene potius, quam a sene profectam videri obiiciat, meminerit eandem in Philocteta inveniri, quam etiam post hoc tempus doctam esse constat: sicut in universum utriusque fabulae haud exigua similitudo est[294]).

---

289) cf. Paus. V. 8. 3. X. 7. 3.

290) ad Pind. Olymp. XII.

291) Fast. Hell. p. 196 sq.

292) Corp. Inscriptt. I. ann. ad n. 1688. p. 811 sq.

293) Anachronismum in hoc ipso loco notavit schol. ad v. 682.

294) Confitendum nobis est, admodum dubium videri, an bigae illo loco necessario intelligi debeant.

De successu nihil certi traditum. Exstant autem in epigrammate Dioscoridis [295]) duo versus, qui nisi victoria ornatam fabulam ostendunt, tamen maximi aestimatam fuisse declarant. Ibi enim Bacchum, tumulo Sophoclis impositum, alloquitur viator:

ὄλβιος, ὡς ἀγαθὴν ἔλαχες στάσιν· ἦ δ' ἐνὶ χερσὶ
κούριμος, ἐκ ποίης ἥδε διδασκαλίης;

Respondet homini Bacchus:

εἴτε σοι Ἀντιγόνην εἰπεῖν φίλον, οὐκ ἂν ἁμάρτοις,
εἴτε καὶ Ἠλέκτραν· ἀμφότεραι γὰρ ἄκρον.

Ab Attilio fabula Latine conversa est [296]).

Philocteta [297]) sola fabula est, in qua de tempore et successu non quaerendum. Namque ex veteribus didascaliis in argumento fabulae doctam eam archonte Glaucippo i. e. Ol. XCII. 3. [298]) Sophoclemque primum renunciatum esse docemur: neque scimus quemquam, qui dubitationem moverit.

Quo primum tempore Oedipus Coloneus edita esset antequam diserto testimonio traditum et pervulgatum fuit, de hac re quaedam a viris doctis disputata erant: quae quum parum probabilia essent, ab aliis refutata aliaeque sententiae propositae sunt. Apud antiquos haec quaestio nunquam

---

295) cf. Iacobs. Anthol. T. p. 500. XXVIII.

296) Commemorare licitum sit, comparationem paedagogi cum nobili equo v. 25. ita placuisse, ut Sophocleus equus fere in proverbium de sene alacri abierit. cf. Philostr. vit. Sophist. II. 23. 4. Lessing. vit. Soph. extr. et quos laudat.

297) Philocteta in Lemno; etiam Philoctetam ad Troiam Sophocles scripsit, quae fabula perdita est.

298) cf. Clint. Fasti. Hellen. ad h. annum.

in controversia fuit. Etenim Cicero, Val. Maximus, Appuleius, Plutarchus, Lucianus, auctor vitae, omnes in eo inter se conveniunt, scripsisse Sophoclem fabulam, quum iam ultimae senectutis esset. De editione tragoediae disertissimum testimonium exstat in argumento tertio: [299]) τὸν ἐπὶ Κολωνῷ Οἰδίποδα ἐπὶ τετελευτηκότι τῷ πάππῳ Σοφοκλῆς ὁ υἱδοῦς ἐδίδαξεν, υἱὸς ὢν Ἀρίστωνος, ἐπὶ ἄρχοντος Μίκωνος, ὅς τέταρτος ἀπὸ Καλλίου, ἐφ' οὗ φασὶν οἱ πλείους τὸν Σοφοκλέα τελευτῆσαι. Tam disertis veterum testimoniis si qua fides habenda est, prorsus non intelligo, qua tandem causa ducti viri docti in hac re ab iis discedere constituerint. De Philocteta nemo dubitavit: quamquam totidem et aeque graves vel graviores etiam dubitationis causae et aliae proferri possunt, et imprimis hoc, quod universa fabulae indoles vigentis aetatis acerbitatem multo magis ostendit, quam Oedipus Coloneus; atque adeo vel externa de tempore argumenta in illa fabula nequaquam disertiora sunt. Nihilominus tamen Hermannus [300]) ex numeris versuum non post Ol. LXXXIX. Oedipum scriptum esse iudicavit: quasi quis post hunc terminum bonos versus non iam facere potuisset, prasertim qui idem antea optimos fuderat. Reisigius [301]) ex historicis argumentis, quae in fabula

299) ed. Thiersch. Actt. phil. Monac. I, 3. p. 324.

300) ad Oed. Reg. p. 478. ed. Erf.; praef. ad Oed. Col. p. XIII.; Opusc. III. p. 149.

301) Enarr. Oed. Col. p. XI. Eius argumenta recte refutavit

invenisse sibi visus est, eius meditationem in Ol. LXXXVII. 2. vel 3. incidere collegit: cui Hermannum non satis caute assensum esse Boeckhius [302]) demonstravit. Ea enim aetate inter Athenienses et Thebanos vehementissimae inimicitiae intercesserunt: ita ut hostiliter secum ipse Hermannus pugnet, alibi, [303]) quo tempore fabula scripta esset nullas fuisse inimicitias contendens. Ad eiusdem Olympiadis annum primum Oedipi primam editionem rettulit Lachmannus, [304]) idem tamen hanc sententiam se ipsum non iam probaturum dicens, si Oedipum Regem Ol. LXXXVII. 1. editam esse demonstratum esset. Atque hoc vere iudicavit. Etenim omnes illae opiniones ad nihilum concidunt, modo reputaveris, Oedipum Regem, quem priorem fuisse ex didascaliis traditum habemus, circa idem tempus primum doctam esse. Neque vero etiam paulo post Oedipus Coloneus videtur data esse, propterea quod haec fabula in quibusdam rebus a priore nimis discedit. Sic in hac v. 1405. 1423 sqq. 1505, expulso Oedipo solus Creon Thebarum rex est; Oedipus se ipse in exilium coniicit v. 1423: quum contra Creon de hac re oraculum antea consulendum esse contendit (1425). In posteriore fabula nihil de hoc oraculi responso; contra pater a filiis eiectus dicitur; (v. 1350. sqq.)

Suevernius, partim de reb. hist. polit. in vett. fab. p. 6. in Actt. Acad. Berol. 1824. partim de Oedipo Coloneo ibid. 1828.

302) De logist. et euthyn. Athen. p. 45. Mus. Rhen. I. 1.

303) praef. ad Oed. Col. p. XIV.

304) Mus. Rhen. I. 4. p. 313. sqq.

item non Creontis, sed Polynicis fuisse imperium. Hae vero diversitates non nisi interiecto longiore temporis spatio satis bene explicantur.

Restat alia ratio, quae ut ad verum propius accedit, ita prorsus improbari nequit. Etenim iam olim Boeckhius [305]) fabulae editionem continuo post Olymp. LXXXIX. 4. ponendam esse statuit, in eaque sententia adhuc perstitit. [306]) Quam quidem amplexus Suevernius [307]) peculiari disputatione de tempore et consilio Oedipi Colonei demonstrare studuit, ac plurima sane protulit, quae cum illa sententia optime congruunt. Est autem in hac quaestione hoc maxime respiciendum, historicis argumentis, quae vocant, tempus aliquod haud ita facile tam arctis finibus circumscribi posse, nisi quid forte diserte commemoratum sit, quod huc pertinere appareat. Atque etiam quae ante decem vel quindecim annos gesta sunt, ea modo ne nimis exilia sint, ita plerumque in hominum memoria versantur, ut quasi praesentia bene possint commemorari. Itaque etiamsi in Oedipo Coloneo saepe ad res respectum est, quae fere ad Ol. LXXXIX. 4. pertinent, inde illud quidem aperte sequitur, ut non antea docta sit fabula: sed aliquot annis postea compositam et editam esse aliquanto est verisimilius. Quapropter non possum, quin grammatici diserto testimonio assentiendum, fabulamque Sopho-

305) de trg. Gr. p. 187.
306) cf. Ind. lectt. aest. 1826. alibi.
307) Actt. Acad. Berol. 1828.

cle iam quatuor annis mortuo ab ipsius nepote Ol. XCIV. 3. primum editam esse censeam. Cum Thierschio [308]) autem non faciendum est, qui tragoediam ab avo inceptam et a nepote demum perfectam esse statuit; nam iuvenilis ingenii vestigia in ipsa comprehendi facile quidem est dictu, probatu autem difficillimum, et haud dubie falsum.

De successu fabulae si quid ex eius praestantia arctaque cum urbe Athenarum coniunctione, quarum egregia laus praedicatur, iudicari licet, vix cuiquam erit dubium, quin victoriam reportaverit, data praesertim eo tempore, quo qui artis tragicae gloria excelluerunt, mortem iam occubuerant. Forsitan etiam huc referre licet, quod Valerius Maximus [309]) Sophoclem hac sola fabula omnibus eiusdem generis poëtis laudem praeripere potuisse dicit.

X.

SOPHOCLIS DOMUS.

Sic in rebus scenicis occupatus omniumque admirationem sibi concilians Sophocles inter suos, inter cives, inter aequales, quibuscum studii et vitae communitate coniunctus fuit, non minus insignem se praebuit. Uxorem habebat Nicostratam Atheniensem, ex qua filium Iophontem, natu maximum, procreavit. Hunc igitur Suidas dicit γνήσιον fuisse, alium vero, Aristonem ex Theoride Sicyonia νόθον.

308) Actt. Phil. Monac. I. 2. p. 328.
309) lib. VIII. 7. 12. extern.

Quo vocabulo quum imprimis apud Atticos [310]) fere is significetur, qui ex connubio cum peregrina uxore procreatus est, hoc etiam ad Aristonem referre eo libentius aliquis voluerit, quum ipsius mater re vera non Atheniensis fuerit: et hoc omnino improbari non potest, nisi quis forte oppositionem inter γνήσιον et νόθον obstare crediderit. Namque quod Athenaeus [311]) Theoridem ἑταίραν nominat, hoc nullius momenti est. De Nicostrata autem praeter nomen, a Suida et vitae auctore indicatum, nihil amplius constat; neque etiam hoc potest effici, fuerintne reliqui Sophoclis filii, Leosthenes, Stephanus, Meneclides, ex hac an ex Theoride procreati; nomina eorum Suidas servavit. Theoridis autem maior fama fuit; et narratiunculae quaedam de ipsa in hominum ore versabantur, quas nosse et illustrare operae pretium est. Athenaeus igitur, si recte iudico, Sophocli in universum parum favens, poëtam iam senem Theoridis concubinae amore captum esse dicit. Quod, etiamsi non respicimus, Sophoclem et aliis [312]) et imprimis Platone [313]) auctoribus senem ab amore abstinuisse, tamen ve-

310) Themistocles, matre Threïcia natus (cf. Ael. var. histt. XII. 43. ibq. interpretes; Athen. XIII. p. 576. c.) νόθος πρὸς μητρὸς ap. Plut. Vit. Them. exord. cf. Valcken. ad Eurip. Hippol. v. 962.

311) lib. XIII. p. 592. b.

312) Ipso Athenaeo ex Platone, libr. XII. p. 510. b. cf. Plut. περὶ φιλοπλουτίας t. VIII. p. 82. Reisk. alibi; Stob. laud. sen. CXII. extr.; id. de intemp. VI. exord. Clem. Alex. paedag. II. p. 194.; Cic. Cat. maior. 14.

313) de rep. I. p. 329.

rum esse non facile credès, si rerum rationem accuratius consideraveris. Sophocles omnium testimonio ex Theoride Aristonem procreavit: ex quo natus Sophocles, nostri nepos, vivente etiam avo iuvenis factus est, utpote qui quatuor annis post eius mortem Oedipum, docuerit. Itaque quadragenarius fere tragicus Theoridem primum amasse potest, non quum iam senex esset. Eodem vero loco alia quaedam admodum memorabilia adduntur. Sophocles Venerem invocans his versibus, qui a quibusdam ad Homerum relati sunt, precatus est:

Κλῦθί μευ εὐχομένου, κουρότροφε· δὸς δὲ γυναῖκα
τήνδε νέων μὲν ἀναίνεσθαι φιλότητα καὶ εὐνήν·
ἣ δ' ἐπιτερπέσθω πολιοκροτάφοισι γέρουσιν,
ὧν ἰσχὺς μὲν ἀπήμβλυνται, θυμὸς δὲ μενοινᾷ.

Tum Athenaeus eum etiam alias Theoridis mentionem facere ait, dicentem in stasimo quodam: φίλη γὰρ ἡ Θεωρίς. Hic locus dubitationes excitavit et corruptus esse visus est. Στάσιμα non nisi fabularum partes quaedam nominari solent: verum in tragoediis et dramatis Satyricis vitam tam diserte a quoquam commemoratam fuisse non licet statui; et comoedia a Sophocle plane aliena. Quapropter aut ab Athenaeo aut postea a librariis errorem commissum esse arbitror; et non improbabilis est Suevernii [314]) coniectura, pro στασίμῳ scribendum vel intelligendum certe ᾀσματίῳ, et verba forsitan ex κώμῳ esse, quem Sophocles Theoridi instaurandum curavisset. Quamquam equidem verisimilius esse

---

314) Additt. ad Comm. de Oed. Col. p. 33 sqq. Actt. Acad. Berol. 1828.

censeo, exstitisse comoediam nescio cuius poëtae, in qua Sophocles illa verba dixerit: quod Athenaeus parum accurate loquutus ipse forsitan voluit.

Sed etiam post Theoridem Sophoclis amor viguit. Athenaeus l. l. auctore Hegesandro refert, sub exitum vitae eum Archippam concubinam amasse, quam etiam victus sui heredem constituisset. Quum autem Archippa cum Sophocle sene conversaretur, pristinus eius amator, Smicrines quidam, interrogatus quidnam Archippa ageret, festive respondit: »Sicut noctua in sepulcris assidet.« Haec ille quidem iocatus, sed a seniore Sophocle loco motus est.

Inter filios Sophoclis Iophon, natu maximus, longe notissimus est. Fuit et ipse poëta tragicus, haud ignobilis ille quidem, quem tamen sine patre quid praestare posset Aristophanes[315]) inquirendum ait:

Ἰοφῶντ' ἀπολαβὼν αὐτὸν μόνον
ἄνευ Σοφοκλέους ὅ,τι ποιεῖ κωδωνίσω.

Ad quem locum scholiasta Iophontem perstringi dicit, propterea quod quae patris essent, pro suis venditavisset; sed non propter hanc solam causam, verum etiam, quod in poësi frigidus et diffusus fuisset.[316]) Huic indicio omnino fides aliqua habenda est, quamvis Iophontem interdum in primis tragicis numeratum videmus. Alius scholiasta ad eundem Aristophanis locum certasse eum et splen-

315) Rann. v. 73.

316) οὐ μόνον δὲ ἐπὶ τῷ ταῖς τοῦ πατρὸς τραγῳδίαις ἐπιγράφεσθαι κωμῳδεῖται, ἀλλ' ἐπὶ τῷ ψυχρὸς καὶ μακρὸς εἶναι·

dide vicisse dicit patre etiamnum vivente. Sed quum hic, tum in aliis locis omnibus additum est, propter hanc ipsam causam Iophontem patris poëmatibus pro suis usum videri. Aristophanes quidem satis ambigue dicit incertum esse ὅπως ἔχει. Diserte Suidas s. v. Iophontem quinquaginta dramata docuisse tradit, inter quae Achillem, Telephum, Actaeonem, Ilii Excidium, Dexamenum, Bacchas sive Pentheum; et alia quaedam patris Sophoclis. Si qui etiam de Sophocle eum victoriam reportasse dicunt, hoc sine ulla causa faciunt; namque in scholio illo ἐνίκησε λαμπρῶς ἔτι ζῶντος τοῦ πατρὸς αὐτοῦ genitivi absolute, ut aiunt, positi sunt, minime dependentes a verbo ἐνίκησεν. Certasse autem cum patre apud vitae scriptorem perhibetur. Qui quum ab eodem scholiasta plura fere doctus esse videatur, forsitan illo loco male intellecto in hunc errorem incidit: cuius suspicionis causam eo graviorem habere videmur, quod et res ipsa parum verisimilis est, et utriusque scriptoris in eadem re communem errorem deprehendimus, quo Sophoclem cum Choerilo certasse dicunt. At hoc non fecit, neque facere potuit, quippe qui Choerilo mortuo vix teneros unguiculos reliquisset. [317] Itaque haud temerarium erit credere, vitae scriptorem inter eos, qui cum Sophocle pugnavissent, plurimorum nomina rettulisse, quidquid forte Atheniensium tragicorum in mentem sibi veniret. Forsitan etiam recordatus quae de lite, quam patri cum Iophonte

317) cf. Naek. de Choeril. p. 7. sq.

fuisse accepimus, audisset, ad poëticum certamen illa transtulit. Ad Choerilum quod attinet, bene Naekius ostendit, errorem inde ortum esse, quod scriptor apud alium quendam, unde etiam Suidas haberet, legisset πρὸς Θέσπιν καὶ Χοιρίλον ἀγωνιζόμενος: cuius dictionis ambiguitate deceptus Sophoclem tragico certamine cum iis certasse putavisset. His omnibus reputatis ita commoveor, ut Iophontem cum patre certamen inisse non credam; praesertim quum re tamen flagitante, ut alter victus decederet, neque Sophoclis quidquam interesset, filium, neque filii, patrem superasse; neque denique res tam memorabilis ab ullo scriptore Sophoclis mentionem iniiciente omissa foret.

De Iophontis certaminibus pauca tantum aliquanto accuratius tradita sunt. Quoties vicerit nusquam commemoratum; etiam quapropter Aristophanis scholiasta eum λαμπρῶς vicisse dixit incognitum. Secundus autem renunciatus est Ol. LXXXVII. 4. archonte Epaminone sive Aminone, certans cum Euripide, qui eo tempore Hippolytum docuit, et Ione Chio: quo certamine Euripides primas, Ion tertias partes tulit.[318]) Baccharum Iophontis, quam fabulam Suidas quoque laudavit, et viri docti[319]) recte, ut videtur, eandem atque Pentheum esse dixerunt, fragmentum exstat apud Stobaeum, ubi falso in uno libro manu scripto fabula comoedia appellatur:[320])

---

318) cf. argum. Eurip. Hippol.

319) cf. Heeren. ad Stob. II. p. 10. 154.

320) cf. Welck. de dram. Satyr. p. 296. not.

ἐπίσταμαι δὲ καὶ τάδ' οὖσά περ γυνή,
ὡς μᾶλλον ὅστις εἰδέναι τὰ τῶν θεῶν
ζητεῖ, τοσούτῳ μᾶλλον ἧσσον εἴσεται.

Satyrica quoque dramata ab Iophonte edita esse quum per se verisimillimum sit, tum rectissime colligitur ex loco Clementis Alexandrini:[321]) Ἰοφῶν τε ὁμοίως ὁ κωμικὸς ἐν Αὐλῳδοῖς Σατύροις ἐπὶ ῥαψῳδῶν καὶ ἄλλων τινῶν λέγει·

καὶ γὰρ εἰσελήλυθεν
πολλῶν σοφιστῶν ὄχλος ἐξηρτημένος.

Namque quod Clemens Iophontem κωμικόν appellavit, id errore quodam factum esse viri docti saepe monuerunt: etenim a comoediae scriptoribus prorsus alienum fuit, etiam Satyrica dramata facere.[322]) Fragmenta vero ista quemadmodum cum fabularum progressu connexa fuerint, ut effectu difficillimum, ita magna opera vix dignum est: licet illud fere intelligi possit, prius a femina de Pentheo dictum videri; alterum quo pertineat, ipse Clemens addidit. Forsitan etiam alia fragmenta exstant, quae mihi nunc incognita sunt.

Ex tota Iophontis vita celeberrima lis est, quam ei aliquando cum patre fuisse accepimus. De qua quum multa saepe disputata sint, neque etiamnum omnes consentiant, quae veteres tradiderunt accurate inter se conferenda sunt. Satis explicate de

321) Stromm. I. p. 280. cf. Lessing. Vit. Soph. p. 151.

322) cf. Casaub. de poës. Satyr. p. 148. Harl. ad Fabric. Bibl. Gr. II. p. 399. Herm. comm. soc. philol. Lips. I. 251. oeckh. de trg. Gr. p. 116. Welck. l. l.

hac re Cicero:[323]) Sophocles ad summam senectutem tragoedias fecit. Quod propter studium quum rem familiarem negligere videretur, a filiis in iudicium vocatus est: ut quemadmodum nostro more male rem gerentibus patribus bonis interdici solet, sic illum quasi desipientem a re familiari removerent iudices. Tum dicitur eam fabulam, quam habebat in manibus et proxime conscripserat, Oedipum Coloneum, recitasse iudicibus, quaesiisseque, num illud carmen desipientis videretur. Quo recitato sententiis iudicum est liberatus.» Plutarchus:[324]) Σοφοκλῆς δὲ λέγεται μὲν ὑπὸ τῶν υἱῶν παρανοίας δίκην φεύγων τὴν ἐν Οἰδίποδι τῷ ἐπὶ Κολωνῷ πάροδον· Εὔιππον κ. λ. v. 668. sqq. . . ἀναγνῶναι· θαυμαστοῦ δὲ τοῦ μέλους φανέντος ὥσπερ ἐκ θεάτρου τοῦ δικαστηρίου προπεμφθῆναι μετὰ κρότου καὶ βοῆς τῶν παρόντων. Appuleius:[325]) Sophocles poeta Euripidis aemulus atque superstes: vixit enim ad summam senectam. Quum igitur accusaretur a filio suomet dementiae, quasi iam per aetatem desiperet, cet.. Lucianus:[326]) οὗτος ὑπὸ Ἰοφῶντος τοῦ υἱέος ἐπὶ τέλει τοῦ βίου παρανοίας κρινόμενος ἀνέγνω τοῖς δικασταῖς Οἰδίπουν τὸν ἐπὶ Κολωνῷ, ἐπιδεικνύμενος διὰ τοῦ δράματος, ὅπως ὑγιαίνει· ὡς τοὺς δικαστὰς τὸν μὲν ὑπερθαυμάσαι, καταψηφίσασθαι δὲ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ μανίαν. Multis verbis, sed tamen parum accurate de hac re scriptor vitae: φαίνεται δὲ παρὰ πολλοῖς ἡ πρὸς τὸν υἱὸν

---

323) Caton. mai. 7.
324) de rep. a sen. ger. t. IX. p. 137. ed. Reisk.
325) apol. p. 298.
326) Macrob. t. III. c. 24. p. 226.

Ἰοφῶντα γενομένῃ αὐτῷ δίκῃ ποτέ· ἔχων γὰρ ἐκ μὲν Νικοστράτης Ἰοφῶντα, ἐκ δὲ Θεωρίδος Σικυωνίας Ἀρίστωνα, τὸν ἐκ τούτου γενόμενον παῖδα, Σοφοκλέα τοὔνομα, πλέον ἔστεργε, καί ποτε ἐν δράματι εἰσήγαγεν Ἰοφῶντα αὐτῷ φθονοῦντα καὶ πρὸς τοὺς φράτορας ἐγκαλοῦντα τῷ πατρὶ ὡς ὑπὸ γήρως παραφρονοῦντι· οἱ δὲ τῷ Ἰοφῶντι ἐπετίμησαν. Eadem iisdem fere verbis expressa sunt a scholiasta Aristophanis.[327]) Haec igitur ab antiquis de hac re tradita in eo satis consentiunt, ut inter filios et Sophoclem, quum iam ad extremam senectutem provectus esset, inimicitias intercessisse affirment. Magnae vero difficultates in ea narratione insunt, quam postremo loco perscripsimus. Quam quum Boeckhius [328]) ineptam vocasset, Hermannus [329]) emendasse sibi visus est eo, quod pro ἐν δράματι scribendum ἐν δικαστηρίῳ censeret. Sed iusto audacius illud factum est, si quis coniectura sententiam efficere vult omnium disertis testimoniis contrariam: licet ἐν δράματι quid sit ad explicandum difficillimum videatur, quum et a tragoediae et a dramatis Satyrici ratione tales conatus, ut hominem viventem induxissent, prorsus alieni sint: quod ibidem recte monuit Hermannus. Deinde vero ἐν δικαστηρίῳ prorsus contra usum dicendi, in eiusmodi forensibus formulis plerumque firmum, pugnare vere dixit Boeckhius,[330]) idemque ex interiore rerum ra-

327) ad Rann. v. 73.

328) de trg. Gr. p. 136. Assentiuntur Meier. et Schoem. Proc. Att. p. 296.

329) praef. ad Oed. Col. p. XI.

330) Ind. lectt. 1825 — 1826. p. 4. sqq.

tione, praesertim quum nullum esset accusationis genus, quod a Sophocle ad accusandum Iophontem apte eligi potuisset, totam hanc opinionem ferendam non esse demonstravit, neque qui contradixerunt, quidquam profecerunt. Itaque ad rem expediendam alia via ineunda est; neque displicet, quam Boeckhius monstravit. Hic enim ex loco in vita, satis miro illo quidem, hoc tamen fere colligi licere monet, a Cicerone ceterisque iudices pro φράτορας dictos esse, quum lites diiudicare omnino fere iudicum esse videretur. Praeterea quum Sophocles, quod nemo dubitat, insipiens non esset, aut ne ob aliam quidem causam puniendus, Iophon patrem accusaturus certo in ἀνακρίσει repudiatus foret, ita ut res ad iudices omnino non delata esset. Quae quum ita se habeant, non iniquum est coniicere, curialium sodalitio hoc antiquitus forsitan relictum fuisse, ut ad παρανοίας litem patri faciendam assensu suo permissionem darent. Itaque Iophon curiales adierit; ibique Sophocles Oedipi parodum illam legerit: quam se defendendi rationem apud hos quidem non inconcinnam fuisse patet: ad iudices vero simulac res delata fuit, vix ullo pacto, credo, probari debuit. Curiales igitur Iophontem correxerint. Deinde quod ad vocem ἐν δράματι attinet, in quo explicando maximopere omnes haeserunt, Boeckhius totam rem ex errore ortam videri statuit. Forsitan aliquem veterum sententiam quandam ex fabula Sophoclea ad illam litem rettulisse: unde ista narratio facile confici potuisset, Iophontem a Sophocle in fabula introductum esse; quum po-

tius dicendum fuisset, eam causam a Sophocle in tragoedia tangi. Atque hoc re vera in Oedipo Coloneo factum esse posse Boeckhius coniicit, praesertim quum haec fabula cum lite illa quodammodo coniuncta sit. Et re vera quod ibi v. 1192. legitur, ita fere dictum est, ut quum ista lis paulo antea acta fuisset, nemo non his versibus auditis eius reminisceretur:

ἀλλ᾽ ἔα ᾽υτόν· εἰσὶ χἀτέροις γοναὶ κακαὶ,
καὶ θυμὸς ὀξύς· ἀλλὰ νουθετούμενοι
φίλων ἐπῳδαῖς ἐξεπᾴδονται φύσιν.

Ita quum gravissimum et de quo ambigi posset explicatum sit, illud iam perinde erit, utrum ab Iophonte solo, ut scriptor vitae, Appuleius, et Lucianus, an a pluribus filiis Sophocles accusatus sit, quod Cicero et Plutarchus tradiderunt. Quamquam scriptori vitae propter auctoritatem Satyri maxima fides habenda est. Idem refert, desipientiae insimulatum Sophoclem coram iudicibus dixisse: Si quidem Sophocles sum, non desipio; sin autem desipio, non sum Sophocles. Quo dicto pulcherrimam illam Oedipi Colonei πάροδον recitavit: qua quum insignis Athenarum atque ipsius Coloni laus praecipuo modo celebretur, animis civium sibi conciliatis iudicio liberatus est. *)

---

*) Rem familiarem dissipatam esse a Sophocle quum ex Ciceronis loco, hoc quidem solo, videatur colligi posse; Lessingius fortasse non iniuria hanc fuisse causam dixit, quapropter Iophon patrem accusavisset. Eam vero sententiam non propter artis studium, ut ait Cicero, pro vera habendam esse verisimile est, sed quia cum mulierculis illis Sophocli iam seni rem fuisse scimus;

Sic Sophocli aliquando cum Iophonte inimicitias fuisse apparet: neque omnino assentiendum est Dindorfio,[331]) cuius de ea lite hoc iudicium: »Coram Thesmothetis, quibus cognoscenda causa fuit, non est poëtarum versibus ludi solitum, sed argumentorum vi et documentis idoneis res disceptari debuit. Quamobrem totum hoc in fabulis numero, quales plurimas invenerunt Graeci, quid ingeniose aut facete excogitatum esset multo magis spectantes, quam quid rerum veritati accommodatum.« Quamquam quod stultissimos fuisse iudices dicit, qui accusatum hac ratione crimine liberavissent, hoc haud dubie verum est: sed ad Thesmothetas rem omnino non pervenisse diximus.

Attamen sicut antea filium a patre dilectum et in scribendis tragoediis adiutum fuisse accepimus, sic postea quoque cum eo in gratiam videtur redisse. Quod quum coniici possit ex verbis in vita: ἱδρύνθη δὲ ὑπὸ Ἰοφῶντος τοῦ υἱοῦ μετὰ τὴν τελευτήν, disertius ex Valerii Maximi[332]) loco admodum oratorio colligitur: »Sophocles quoque gloriosum cum rerum natura certamen habuit, tam benigne mirifica ille[333]) opera sua exhibendo, quam illa operibus eius tempora liberaliter subministrando. Prope enim centesimum annum attigit, sub ipsum transitum ad mor-

---

quem quod Aristophanes propter avaritiam perstrinxit, minime repugnat. cf. Boeckh. de Antig. p. 45.

331) de Aristoph. frgm. p. 55. sqq.

332) lib. VIII. 7. extern. 12.

333) Sic certo legendum esse coniicio; in libris est illi, illa cet.

tem Oedipo Coloneo scripto, qua sola fabula omnium eiusdem studii poëtarum praeripere gloriam potuit: idque ignotum esse posteris filius eius Iophon noluit, sepulcro patris quae rettuli insculpendo.« Itaque filius patri reconciliatus est et mortuum insigni honore affecit.

Alter Sophoclis filius, Aristo, νόθος fuit ex Theoride Sicyonia. Etenim civibus Atticis διὰ τὸ λειπανδρεῖν licitum erat, praeter unam civem uxorem ducere peregrinam [334]): civis fuit Nicostrata, peregrina Theoris. Aristo igitur, quamquam alias parum notus, tamen et ipse poëta tragicus videtur fuisse. Namque Diogenes Laertius, [335]) laudans complures, quibus nomen Aristonis fuisset, quartum poëtam tragicum dicit. Quod quum ad neminem aptius referatur, quam ad filium Sophoclis, hunc illo loco significatum esse viri docti [336]) rectissime coniecerunt.

Maius autem nomen inter tragicos Graecos Sophocles, Sophoclis ex Aristone nepos, sibi comparavit. [337]) Eundem Diodorus [338]) Σοφοκλῆν Σοφοκλέους appellat: quo loco commotus facile aliquis in eam opinionem inciderit, ut hunc maioris Sophoclis filium, non nepotem esse statuat. Atque adeo haec sententia Meursio probabilior visa est propter temporum rationem, quae et ipsum Wesselingium

334) cf. Demosth. ap. Selden. de iure nat. et gent. V. 6. indicante Bothio ad auct. vit.

335) lib. VII. 164.

336) Fabric. Bibl. Gr. II. p. 287. Boeckh. de trg. Gr. p. 116.

337) Suid. s. v. Σοφ. β'; auct. vit.; argum. III. Oed. Col.

338) lib. XIV. 53.

offendit (ad Diod. l. l.). Primum autem Diodori tam incertum indicium [339]) vix quidquam valet contra Suidam, vitae scriptorem, auctorem argumenti illius ad Oedipum, quorum disertissima testimonia sunt. Tum ne in temporum quidem ratione quod obstet quidquam inest. Si Sophocles tricenarius vel quadragenarius Aristonem procreaverit, is tricenarius Sophoclem minorem: hic Ol. XCIV. 3., quo anno avi Oedipum Coloneum edidit, triginta vel quadraginta annos natus fuit: in qua ratione quomodo aliquid minus verisimile putari possit non video. Accedit, ut Diodorum a ceterorum sententiis recedere ipsa illa verba minime certo declarent. Σοφοκλῆς Σοφοκλέους etiam ille nominatur, qui post tragicorum Pleiadem, quam vocant, circa Ol. CXLV. vixit; [340]) quem tamen τοῦ παλαιοῦ ἀπόγονον fuisse constat, non Sophoclis cuiusdam filium: [341]) quapropter Dindorfius ad Diod. l. l. non assentiri debebat Thierschio [342]) et Clintono, [343]) in Diodorum Σοφοκλῆς Σοφοκλέους υἱωνὸς inferre iubentibus. Nepotem igitur avus prae filiis dilexit, sive quod in universum pueris favebat, sive quod illum a natura benigne exornatum ad suam ipsius imaginem ingenium formare vidit: cui coniecturae a Boeckhio olim propositae alii recte assensi sunt. [344])

339) cf. Boeckh. Oecon. Athen. II. p. 360.

340) cf. Boeckh. Corp. Inscrpt. vol. I. n. 1584.

341) Suid. s. v. Σοφοκλ. γ'.

342) Actt. Phil. Mon. I. 3. p. 323.

343) Fastt. Hell. ad Ol. XCVI. 1.

344) cf. Boeckh. de trg. Gr. p. 117. sq. Suevern. de Oedip. Colon. p. 33. sqq.

Sophocles minor igitur in praecipuis tragicis numerandus est. Suidas eum quadraginta dramata edidisse tradit, pro quo numero alii undecim ferrent; victoriam autem septies reportasse. Auctore Diodoro l. l. primam fabulam edidit Ol. XCV. 4. archonte Lysiade, quum quinquennio antea avi Oedipum Coloneum docendam curavisset, et in universum duodecim victorias reportavit. Satis magnus hic victoriarum numerus est, ex quo ipso poëtam praecipuum fuisse apertum sit: nisi quis forte idcirco de hac re ambigendum credat, quod cum ipso qui certamen inierint, in primis tragicis non iam numerandi fuerint. Ad fabularum victoriarumque numeros inter se conciliandos Boeckhius[345]) ex Diodoro in Suida ιά in νά, et ζ' in ιβ' mutandum esse censuit: quippe quum poeta secundum Diodorum, cuius etiam propter numerum plenis literis scriptum omnino maior auctoritas, reportatis duodecim victoriis non undecim tantum fabulas edidisse posset. Atque quum poetam duodecies vicisse ex Diodoro certum sit, saltem si cui mutatio illa non placebit, Suidas vel is, ex quo sua sumsit, errasse putandus est: nisi forte a Diodoro etiam illae victoriae numeratae sunt, quas docendis avi fabulis Sophocles reportaverit, a Suida autem non numeratae: ita ut propriis fabulis re vera septies tantum vicerit.

---

345) de trg. Gr. d. 116.

Clemens Alexandrinus [346]) Patroclem Thurium et Sophoclem iuniorem ἐν τρισὶ τραγῳδίαις Castoris et Pollucis divinam naturam negasse tradit. Intelligendus hic noster Sophocles est, non postremus ille, qui circa Ptolemaeorum tempora floruit: nam is neque simpliciter sic laudari debuit, neque quamquam hoc minutum est, νεώτερος, sed νεώτατος nominandus erat. De verbis ἐν τρισὶ τραγῳδίαις vere Lessingium auguratum esse arbitror, idem illis significari, quod alias etiam τριλογία appelletur. Forsitan autem Clemens in animo habebat, hanc trilogiam a prioribus differre eo, quod tres illae tragoediae communi quodam vinculo, quae erat trilogiarum ratio, coniunctae non essent. Ad eundem poëtam pertinere, quae exstant apud Strabonem, [347]) Boeckhius [348]) suspicatus est, ut mihi quidem videtur, rectissime. Atque adeo ipsos illos versus, quos Strabo adhibet, ex una fabularum a Clemente commemoratarum sumtos esse censeo. Dicit autem, urbem Lan aliquando a Dioscuris expugnatam tradi, unde iis nomen Λακέρσαι inditum. Et Sophoclem alicubi haec:

νὴ τὼ Λακέρσα, νὴ τὸν Εὐρώταν τρίτον,
νὴ τοὺς ἐν Ἄργει καὶ κατὰ Σπάρτην θεούς.

In his versibus haud dubie ludibrium quoddam intelligere mihi videor, quod quum ad ea, quae Clemens tradit, aptissime referatur, ad unam ex illis

---

346) admon. ad gent. p. 19. Sylb.
347) lib. VIII. c. 5. p. 560.
348) de trg. Gr. p. 142

tragoediis hos versus pertinuisse coniicio. Eosdem vero Meursius ad Sophoclis Lacaenas referendos esse arbitratur, cui cum Brunckio alii assensi sunt. Quod si recte fecerunt, hanc ipsam fabulam minori Sophocli tribuere non dubito: ad quod etiam Boeckhius inclinat. Sed etiam ex ceteris fabulis, quae quum solo Sophoclis nomine significatae sint, omnes ad maiorem fere referuntur, procul dubio una vel altera ad nepotem pertinet: eas autem invenire haud facile quisquam poterit.

Praeter tragoedias Sophocles etiam alia quaedam minora carmina scripsit. Suidas ejus elegias commemorat, quarum etiam apud alios mentio est. Hephaestio: [349]) ἐν δὲ τοῖς ἔπεσι σπανιώτερον οὕτως· ὡς τὸ τοῦ Ἀρχελάου ὄνομα Σοφοκλῆς ἐν ταῖς ἐλεγείαις οὐκ ᾤετο ἐγχωρεῖν οὔτε εἰς ἔπος οὔτε εἰς ἐλεγείαν· φησὶ γουν ὁ Σοφοκλῆς.

Ἀρχέλεως· ἦν γὰρ σύμμετρον ὧδε λέγειν.

Sic locus in editionibus legitur, nisi quod in quibusdam verba οὔτ' εἰς ἔπος οὔτ' ἐλεγείαν scripta sunt, quasi ex carmine illo sumta essent. Illud autem apertum est, eiusmodi sententiam hac ratione directe in elegiam inferri omnino non potuisse. Quamobrem etiam versum illum pentametrum, quem scribunt, prorsus removere nihil dubito; postrema verba distinguenda sunt hoc modo: φησὶ γοῦν ὁ Σοφοκλῆς Ἀρχέλεως· deinde grammaticus adiicit: ἦν γὰρ σύμμετρον ὧδε λέγειν; quae quod in pentametrum coaluerunt, ipsius voluntate factum non est. Harpocratio: [350])

---

349) Enchir. περὶ συλλαβῶν, I. 3. p. 8. ed. Gaisf.

350) s. v. p. 30. ed. Lips.

ἀρχὴ ἄνδρα δείκνυσι· Δημοσθένης προοιμίοις δημηγορικοῖς· Σοφοκλῆς μὲν οὖν ἐν ταῖς ἐλεγείαις Σόλωνός φησι αὐτὸ εἶναι ἀπόφθεγμα· Θεόφραστος δ' ἐν τῷ προοιμίων καὶ Ἀριστοτέλης Βίαντος. Dubitationem grammatici nullam esse unusquisque videt; m u n e r e v i r u m p r o b a r i multi dixerint; Sophocles vero Solonem potissimum commemoraverit, quod hic, et ipse poëta, sententiam fortasse pulcherrime protulit. Haec autem ad minorem Sophoclem referenda esse eo monemur, quod avi nonnisi una tantum elegia laudatur.

De ceteris Sophoclis filiis praeter nomina nihil constat. Fortasse vero ad eorum numerum etiam Clidemides pertinet, quem Callistratus secundum scholiastam Aristophanis [351]) Sophoclis filium esse voluit, Apollonius vero histrionem. Facillime utrumque conciliatur. Praeter Clidemidem vero ex tragici nostri histrionibus etiam alii quidam nobis cogniti sunt, quos paucis commemorare liceat. In iis Tlepolemus Sophocli maxime deditus fuisse perhibetur, quem Aristophanes commemorat; cuius scholiasta illum secundum quosdam tragicum actorem fuisse tradit, qui constanter Sophoclis fabulas egerit. [352]) Eidem haud dubie Callippides histrio addictus fuit, cuius mentionem fecerunt Ister et Neanthes in narratione de poëtae morte. [353]) Is in tragoedia fere sola operam videtur posuisse, quum

351) ad Rann. v. 744. sqq.
352) Arist. Nub. 1269. ibq. schol.
353) cf. auct. vit.

apud omnes semper τραγικός nominetur.[354]) Strattidis comoediam ab eo forsitan nomen traxisse monuit Meinekius.[355]) Alii utrum Sophoclis, an Aeschyli potissimum actores fuerint, effici non potest; uni enim vel alteri poëtae histriones totos fere addictos fuisse, quo tempore tragoedia maxime floruit, verum ratio facile docet. Sic ab Aristophane[356]) cum laude quadam Oeagrus nominatur, qui Niobam egisset: quae utrum Sophoclis, an Aeschyli putanda sit, neque ex loco ipso, neque ex scholio colligi potest. Plurimi vero actores, de quibus accuratiora quaedam nobis tradita sunt, aliquamdiu post ipsius Sophoclis mortem vixerunt. Eo tempore, quum tragoediae non iam poëtarum quasi proprium quiddam essent, sed publici iuris fierent; etiam histriones non unius tantum poëtae fabulis agendis operam dederunt, sed promiscue quae sibi accommodatissimae essent elegerunt; ac ne in tragoediis quidem aut comoediis solis persliterunt, sed qui in alteris praecipui erant, iidem saepe comoedia excellebant.[357]) Sophoclis autem fabulis qui magnam famam sibi comparaverunt, complures ex temporibus Demosthenis nobis cogniti sunt. Quorum omnium nobilissimus est Polus, Chariclis filius, Suniensis, si qui-

---

354) cf. Plut. Ages. c. 21.; de glor. Athen. c. 6. Apophth. Lac. 57; Athen. XII. p. 535. d.

355) Quaest. scen. II. p. 65. Idem nomen duplici litera τ scribendum docet.

356) Vesp. 544. ibq. schol.

357) cf. Lucian. de Iov. trag. c. 3. t. II. p. 645. ibq. schol.

dem Luciano credimus, [358]) sin Plutarcho, [359]) Aegineta, πάντας ὑπερβαλὼν τῇ τέχνῃ, a multis saepissime laudatus. [360]) Is igitur non solum utrumque Sophoclis Oedipum egit, [361]) sed aliquando eiusdem Electram acturus quod in vita sibi accidisset, egregie in scenam transtulit: quae res tam memorabilis est, ut integram Gellii [362]) narrationem perscribere placeat. »Histrio in terra Graecia fuit fama celebri, qui gestus et vocis claritudine et venustate ceteris antestabat. Nomen fuisse aiunt Polum. Tragoedias poëtarum scite atque asseverate actitavit. Is Polus unice amatum filium morte amisit. Eum luctum quum satis visus est eluxisse, rediit ad quaestum artis. In eo tempore Athenis Electram Sophoclis acturus gestare urnam quasi cum Orestis ossibus debebat. Ita compositum fabulae argumentum est, ut veluti fratris reliquias ferens Electra comploret commisereaturque interitum eius, qui per vim exstinctus existimatur. Igitur Polus lugubri habitu Electrae indutus ossa atque urnam a sepulcro tulit filii, et quasi Oresti amplexus opplevit omnia non simulacris neque incitamentis, sed luctu atque lamentis veris et spirantibus. Itaque quum agi fabula videretur, dolor actitatus est.« Vixit autem Polus supra septuaginta annos, ac non solum prae-

358) Necyom. c. 19. t. I. p. 479.

359) Vit. Demosth. c. 29.

360) Plut. praec. polit. 21. Luc. de Iov. trag. 41. t. II. p. 688. alibi.

361) cf. Arrian. ap. Stob. Serm. XCVII. 28.

362) N. A. VII. 5.

stantia artis, verum usque ad extremam senectutem tanta industria et alacritate excelluit, ut paululum ante mortem intra quatuor dies in octo tragoediis partes suas cum laude ageret.[363]) Is quum aliquando intra duos dies agendis fabulis talenti mercedem se accepisse Demostheni narraret, orator tacendo se quinque talenta tulisse respondit.[364]) Eandem rem Gellius[365]) ad Aristodemum transtulit. Una cum Polo ut maxime insignes eius temporis histriones saepe laudantur Theodorus, Aristodemus, Satyrus, Neoptolemus, alii: ex quibus Theodorus atque Aristodemus, tragicis partibus facile praecipui, Sophoclis Antigonam saepe egisse perhibentur. Theodoro adeo ab Atheniensibus apud Cephissum flumen monumentum positum est, quod se vidisse Pausanias[366]) profitetur, simul eum in tragoedia docenda aequalium principem fuisse dicens. De plurimis fuse et accurate disputavit Grysarius.[367]) Idem verbo etiam Andronicum commemorat, quem secundum Athenaeum XIII. p. 584. ἐξηρθῆναι dicit: quod verbum ibi neque legitur, neque, quod statuit, explosum significat, sed excellentem. Vixit Andronicus circa mortem Alexandri Magni, et Diphili comici aequalis fuit. De eo igitur Athenaeus l. l. Gnathaenae meretricis quae-

---

363) cf. Plut. de rep. a sen. ger. c. 3.

364) cf. vit. dec. oratt. p. 848. b. Reisk.

365) N. A. libr. XI. 9.

366) libr. I. 37. 2.

367) De Graecorum tragoedia qualis fuit circum tempora Demosthenis Colon. Agripp. 1830.

dam facete dicta commemorans haec refert: Ἀνδρονικοῦ δὲ τοῦ τραγῳδοῦ ἀπ' ἀγῶνός τινος, ἐν ᾧ τοὺς Ἐπιγόνους εὐημερήκει, πίνειν μέλλοντος παρ' αὐτῇ, καὶ τοῦ παιδὸς κελεύοντος τὴν Γναθαιναν προαναλῶσαι, ἔφη·

Ὀλόμενε παίδων, ποῖον εἴρηκας λόγον;

Itaque quum Andronicus histrio [368]) apud Gnathaenam potare vellet, puero misso, qui mulierem sumtus impendere iuberet, donec ipse vir adveniret; haec, rerum penuria pressa: Infelix puer, inquit, quale verbum dixisti? Versus iste ex Epigonis eo ipso tempore ab Andronico magno cum applausu prolatus esse putandus est, ut responsi facetia cernatur. Fabulam vero Sophoclis intelligendam esse, non Aeschyli, inter plurimos convenit; [369]) narrationem autem optime explicavit Iacobsius. [370])

Praeterea iisdem temporibus alios multos Sophocleis tragoediis agendis claros fuisse minime dubium est. Ipse Aeschines in Antigona Creontis partes sustinuit [371]) atque aliquando etiam Oenomai, quamquam κακὸς κακῶς ὑποκρινόμενος. Sed iam in re fere aliena nimis diu versari videmur.

368) Τραγῳδοὶ nominari soliti sunt histriones post tempus principum tragicorum, quum pro suo arbitrio eorum fabulas quisque doceret, non alii poëtae quasi ministrum se traderet. Praeterea Ἀνδρονικὸν τὸν ὑποκριτὴν dicit Machon Alexandrinus ap. Athen. XIII. p. 581. c. Etiam conferri potest Valcken. diatr. p. 182. a.

369) cf. Brunck. frgm. Soph. Epig. IV. Schweigh. ad Athen. l. l. Boeckh. de trg. Gr. p. 141.

370) de hetaeris in Script. var. IV. 3. p. 543. sq.

371) cf. Demosth. de coron. p. 288.; de fals. leg. t. I. p. 418. Reisk. ὁ Κρέων Αἰσχίνης.

XI.

SOPHOCLES CUM CIVIBUS SUIS.

Inter suos quum Sophocles difficultatibus non prorsus caruisset, cum civibus merito iucundissima consuetudine coniunctus erat. Patriam enim maximopere dilexit imprimisque urbis Athenarum amantissimus fuit: ita ut quamvis a multis saepe regibus hospitio invitatus nunquam tamen ipsas alii domicilio posthabere vellet.[372] Reges illi quinam fuerint non traditum est: quamquam aliquis de Hierone vel Archelao cogitare poterit, quorum alter Aeschylum, alter Euripidem ad se vocavit. Mutuo autem amore et ipsum cives prosequutos esse vel inde apparet, quod Antigona edita ita ei devincti sunt, ut cum Pericle eum ducem crearent. Atque, ut cum vitae scriptore loquamur, morum in eo tanta gratia fuit, ut ubique et ab omnibus diligeretur. Illud etiam ex scriptis comicorum eius temporis abunde patet: ex quibus imprimis Aristophanes cum praecipua quadam religione ut bonum civem saepe eum commemorat; mortuumque et superis et inferis acceptum esse dicit.[373] Exstant quoque suavissimi versus de Sophocle ex Phrynichi Musis, eo vix mortuo editis[374]

μάκαρ Σοφοκλέης, ὃς πολὺν χρόνον βιοὺς
ἀπέθανεν, εὐδαίμων ἀνὴρ καὶ δεξιός.

372) cf. auct. vit.
373) Rann. v. 82. ὁ δ' εὔκολος μὲν ἐνθάδ', εὔκολος δ' ἐκεῖ.
374) cf. arg. III. Oed. Col. cf. Meinek. quaestt. scen. II. p. 10.

πολλὰς ποιήσας καὶ καλὰς τραγῳδίας
καλῶς ἐτελεύτησ' οὐδὲν ὑπομείνας κακόν.

Memoratu dignissima Ionis tragici narratio est, quam ex eius Epidemiis, quas inscripsit, Athenaeus conservavit:[375]) »Sophocli poëtae quum in bello dux Lesbum navigaret, in Chio obvius fui, viro ioculari apud vinum et dextro. Ab Hermesilao, ipsius civitatisque Atheniensium hospite, domo exceptus puerum apud ignem stantem et vinum infundentem erubescere videns Sophocles interrogavit: «Visne dulciter bibam?» Qui quum velle se dixisset, Sophocles respondit: «Tarde igitur calicem adfer et aufer.« Puerulo etiam magis erubescente ipse ad accubantem conversus: »Quam pulcre, inquit, Phrynichus fecit dicens:

Λάμπει δ' ἐπὶ πορφυρέαις παρῇσι φῶς ἔρωτος!"

Quod quum audisset Eretrieus sive Erythraeus (ruber, fuscus) ludimagister: »Tu quidem, Sophocle, dixit, in poesi profecto iam sapiens es; nihilominus autem Phrynichus non bene fecit (sc. poesi sua, ἐποίησεν) pulcri hominis malas purpureas dicens. Etenim si pictor purpureo colore malas huius pueri illineret, non iam pulcher appareret. Ac profecto pulcrum non ei simile dici oportet, quod non pulcrum est.« Subridens Sophocles Eretrieo respondit: »Dic mihi, sodes, nonne hocce Simonidis tibi placet, quod Graecis admodum bene dictum videtur:

πορφυρέου ἀπὸ στόματος ἱεῖσα φωνὰν παρθένος·

Et ne poeta quidem χρυσοκόμαν 'Απόλλωνα dicens?

---

375) Athen. XIII. p. 603. e. sqq.

Quamquam si pictor auream dei comam faceret non nigram, peior fere pictura foret. Neque denique placet, qui dixit ῥοδοδάκτυλον? namque si quis roseo colore digitos tingit, purpurarii manus, non pulcrae mulieris faciet.« Ac tum Eretrieus ridentium castigatione percellebatur; ipse vero iterum sermocinabatur cum puerulo. Interrogabat eum igitur, festuculam a calice parvo digito removentem, num festuculam videret? Qui quum videre se dixisset: «Flatu igitur, inquit, illam expelle, ne tibi digitus humescat.« Quum vero puer faciem admoveret ad calicem, ipse hunc propius ad os suum adduxit, quo caput capiti propius redderetur. Quum autem prope admodum accessisset, manu puerum amplexus osculatus est. Ad quod quum omnes cum risu atque clamore applauderent, quia bene puerum illexisset: »Strategemata meditor, inquit; Pericles enim poemata quidem facere me nosse, artem imperatoriam non esse dicit. Sed hocce strategema nonne bene mihi cecidit?« — Eiusmodi multa scite dixit et fecit, quum potaret aut aliud quid ageret. Sed quae ad rem publicam administrandam spectant, neque eximie eorum peritus, neque ad agendum promptus et acer fuit, sed sicut unusquisque probus Atheniensis?«

Itaque praecipua naturae felicitate praeditus quum ubique comem se gereret, facile civium suorum animos sibi devinxit. Hic amor eximie eo auctus est, quod Sophoclem religione quadam prosequebantur; ac fortasse multum ad confirmandam famam contulit, quae eum praecipuo amore a diis di-

ligi praedicabat. Illuc iam spectare videtur, quod auctor vitae Musis ab ipso societatem ex eruditis viris institutam esse tradit: quamquam haec ad singulorum, tam poetarum quam histrionum, excitandos animos et vires potissimum pertinuerit. Deinde Hieronymus Rhodius »Sophoclem a diis magis amatum fuisse narravit, quam ullum unquam alium. Aurea corona quum aliquando ex acropoli surrepta esset, populus Atheniensis ostendenti, ubi illa occulta teneretur, talenti praemium promisit. Tum vero per somnium Sophocli visus Hercules illa ubi esset indicavit, domum, quae arcem ingredientibus a dextra sita esset, perquirendam monens. Corona ibi reperta Sophocles talentum accepit: qua pecunia fanum Herculi Indici aedificavit.« Disertius et magis ornate eandem rem Cicero [376]) narrat, auream pateram ex Herculis aede surreptam fuisse dicens; ibi in somnis deum Sophocli surreptorem indicasse: quo comprehenso poeta praemium accepisset fanumque illud exstruxisset.

Huius tam singularis deorum ergo Sophoclem benevolentiae etiam alia exempla sunt; ut adeo ventorum vim compescere posse creditus sit. Apollonius Tyaneius, [377]) et alias quasdam ob causas accusatus et quia Ephesum a peste liberavisset hanc quidem rem sic se habere dicit, Ephesumque beneficium istud bene meritam esse. Neque quemquam sapientium apparere aliter facturum fuisse,

---

376) de divin. I. 25.
377) cf. Philostr. vit. Apoll. VIII. 7. 8.

si quis recordaretur Democriti, qui Abderitas a peste liberavisset, et Sophoclem Atheniensem cogitaret, qui adeo ventos ultra tempus conveniens saevientes demulsisse diceretur. Quae opinio unde orta sit viri docti variis modis explicare studuerunt. Lessingius,[378]) fretus loco Eustathii,[379]) qui paeanem »hymnum, plerumque in Apollinem, esse dicit, ad removendam pestem, bellum, atque etiam quocunque portento imminente cantatum;» fortasse Sophoclem aliquando ventis saevientibus paeanem composuisse coniicit; quo canto quum forte fortuna tempestas cessisset, hoc poetae tributum fuisse. Quae disputatio quum omnino haud parum probabilitatis habeat, tamen exquisitior redditur, et ut cum certis narrationibus de Sophocle magis cohaereat efficitur, si cum Welckero[380]) rem explicaveris. Etenim ab Aesculapio quosdam aëris salubritatem precatos esse auctor est Pausanias;[381]) Sophocles autem paeanem in Aesculapium scripsit: quod carmen in Philostrati iunioris imagine de Sophocle[382]) commemoratum est, et in Vita Apollonii Athenis cantatum fuisse diserte dicitur.[383]) Ex quibus locis aperte colligi licet, ipsum paeanem in Aesculapium Athenis ad demulcendas tempestates

378) Vit. Soph. p. 149 sqq.
379) ad Iliad. I. v. 473.
380) ad Philostr. imagg. p. 659.
381) libr. VII. 23. 6.
382) Imag. XIII.
383) libr. III. 17. 109.

cantatum fuisse: quippe quae quum ad sanitatem maximam vim haberent, Aesculapii curae traditae putarentur. Ipsi autem huic deo Sophocles prae ceteris dilectus fuit: ita ut eum aliquando hospitio excepisse perhibeatur. [384]) Propter singularem hanc benevolentiam deo in domo sua aram condidit et ab aequalibus Δεξίων appellatus est. Eiusdem hospitii apud Philostratum [385]) mentio est, toto loco suaviter composito: »Aesculapius hic prope stans, paeanem ut sibi scribas adhortans, quamvis prudentia inclitus, tamen a te, Sophocle, doceri non recusat. Aspectus eius cum benevolentia ad te conversus paulo post hospitium promittit.» Ita vero imaginem descriptam esse cogitandum est, ut Sophocli, oculos modeste in terram demittenti, Melpomene suaviter arridens dona tribuat. Apiculae super caput poetae volitant, susurrantes et quasi mellis guttas inrorantes. [386]).

Cum praecipuo hoc Aesculapii amore forsitan aliquid coniunctionis habet, quod Sophocles Halonis herois sacerdotium habuisse dicitur, qui cum eodem deo apud Chironem educatus est. Maiori autem fama Bacchi erga Sophoclem amor insignis est: quocum sicuti cum arte sua poeta totus coniunctus fuit. Quo factum, ut praesertim eo mortuo pluri-

---

384) cf. Plut. vit. Num. c. 4. t. I. p. 111. Etym. Magn. v. Δεξίων. p. 256. 6.

385) Phil. iun. imagg. XIII.

386) Sic Welck. ad Philostr. l. l.

mae narrationes orirentur, quae quanta ipsius cum deo amicitia fuerit declarant. Mortuum Bacchus delicias suas nominavit et impositus tumulo viri laudes praedicavit.[387] Talis quum Sophocles civibus suis videretur, factum est, ut divino fere honore eum prosequerentur: quod post eius mortem potissimum ostenderunt, templis et sacrificiis publice ei constitutis.[388]

XII.

SOPHOCLES CUM AESCHYLO ET EURIPIDE.

Sic civium suorum animis sibi conciliatis qualem Sophocles in eorum numero, quibuscum ingenii natura studiique communitate coniunctus fuit, se praebuerit, considerare iucundissimum erit. Cum Aeschylo quo primum tempore publice congressus est, victoriam reportavit: quod Aeschylum aegre tulisse dicunt, ita ut indignabundus Athenis relictis in Siciliam ad Hieronem profectus esset.[389] Quam quidem profectionem eo tempore factam esse satis certum est: causam vero homines facile supponere potuerunt, utpote in quam incidere in promptu esset; quod eo verisimilius est, quum etiam a Simonide victum tragicum, certantem elegia ad celebrandam mortem eorum, qui apud Marathonem cecide-

---

387) cf. Plin. N. H. VII. 30. Paus. I. 21. Epigr. Dioscor.

388) cf. quae de morte Sophoclis dicenda erunt.

389) cf. Vit. Aeschyl.; Plut. Cim. p. 483. f. c. 8.

rant, in Siciliam abisse, [390]) alii vero cum ipso illo poëta sponte profectum esse narrent. [391]) Ista igitur narratione non pro idoneo ac satis certo argumento uti licet, quo inimicitias inter utrumque tragicum intercessisse demonstres: praesertim quum victus Aeschylus dixerit, tempori se dramata sua dedicare: [392]) quae sententia viri magnum animum et ab omni invidia longe remotum ostendit. Sed tamen de ipso atque Sophocle aliae quaedam narrationes exstant, ex quibus eos haud leniter inter se discrepuisse facile quis collegerit. Notissima narratio est, [393]) Aeschylum per ebrietatem dramata sua fecisse: quapropter Sophocles eum vituperasset, quod etiamsi recta faceret, tamen inscius faceret. Haec verba Welckerus [394]) in exordio Sophocleae disputationis de choro scripta fuisse coniecit. Sed ipsa eorum ratio per conversationem potius Aeschylo dicta, quam in libello scripta fuisse videtur indicare: atque hoc diserte declaratur iis, quae ipse Athenaeus altero loco et Eustathius narrant, dixisse Sophoclem: ὦ Αἰσχύλε, εἰ καὶ τὰ δέοντα ποιεῖς, ἀλλ' οὐκ εἰδώς γε: modo plane vera sint, non conformata ex aliis locis. Haec narratio quamvis

---

390) cf. Vit. Aeschyl.

391) cf. Paus. libr. I. 2.

392) Sic Theophrastus aut Chamaeleon περὶ ἡδονῆς ap. Athen. VIII. p. 348. e. cf. Welck. tril. p. 517.

393) cf. Plut. symp. VII. p. 715. e. Xylandr.; Athen. I. p. 22. a. b. X. p. 428. f. Stob. Serm. XVII. Eustath. ad Od. ϑ'. p. 1598. alibi.

394) trilog. p. 524. n. 822.

in universum pro vera habenda sit, tamen Sophoclis contra Aeschylum inimicam mentem fuisse minime ostendit. Ita enim illa verba comparata sunt, ut iocationem potius, quam vituperationem contineant: praesertim quum quae vituperatio in iis inest, aperte minoris momenti sit, quam quae itidem inest laus. Quae quum Sophocles iocandi causa Aeschylo diceret, certe noluit declarare, hunc per ebrietatem tragoedias scripsisse. Chamaeleon primus hoc ita comparavit, ex cuius scriptis Athenaeus ceterique narrationem hauserunt. Sed ex quo ipse eam sumsit, is fortasse μεθύοντα τὸν Αἰσχύλον τὰς τραγῳδίας fecisse dicens, hoc non ita intelligendum voluisse putandus est, ut ebrium Aeschylum significaret: sed μεθύοντα poëtam appellavit propter nimium furorem poëticum, praesertim quum a Baccho tragoediarum patrono, tragici poëtae animus incensus esse putaretur. Aeschylus ipse tale ingenium Bacchi donum esse significavit, narrans, puerulum in agro uvas custodientem se aliquando somnum cepisse, tum prope se stantem Bacchum sibi imperasse, ut tragoediam faceret: quo facto quum dies illuxisset obedire volentem se conatum esse et facillime fecisse.[395]) Aptius etiam locus Aristophanis[396]) huc referri potest, ubi Aeschylus a choro laudatus Βακχεῖος ἄναξ appellatur: ad quem locum bene scholiasta: τὸν Αἰσχύλον οἷον τὸν ἄριστον μελοποιὸν, τὸν ὥσπερ ἐκβακχεύοντα ἐν τῇ ποιήσει: ubi si pro ἐκβακ-

395) cf. Paus. libr. I. 21. 3.
396) Rann. v. 1259.

χεύοντά ἐν τῇ ποιήσει: ubi si pro ἐκβακχεύοντα scripsisset μεθύοντα, eundem plane sensum effecisset. Itaque quum figurate, ut aiunt, illud μεθύων intelligendum sit, Sophocles inscium Aeschylum recta facere dicens idem significaverit, nihil omnino honoris ei detrahens, praesertim quum ipsum eandem fere de se sententiam habuisse Pausaniae locus evincat.

Maioris momenti ad ostendendas inimicitias utriusque poëtae, si quae fuerunt, verba Plutarchi [397]) sunt: »Sicut enim Sophocles dicebat, illudentem (i. e. spernentem) se primum Aeschyli tumorem, tum austerum illud et nimis artificiosum in eius apparatu scenico, tertium denique dictionis genus in id mutasse, quod optimum et moratissimum esset: sic philosophantes quum ex panegyrica et nimis artificiosa ratione ad orationem morum et affectuum participem se convertunt, re vera et sine fastu proficere incipiunt.« Sed Sophoclis hoc dictum ad Euripidem referendum esse voluit Lessingius, et Welckerus [398]) ei plane assentitur. Primum enim nomina apud Plutarchum facile misceri potuisse, quod etiam ab aliis factum esse constat; [399]) tum vero Sophoclem Aeschyli summa veneratione,

397) de profect. in virt. t. VI. p. 294. Reisk. Locum difficillimum esse et a plerisque parum recte explicatum iam dixit Lessingius.

398) Aeschyl. tril. p. 525. not.

399) cf. Koen. et Schaef. ad Greg. Corinth. p. 66. Schaef. ad Soph. Trach. 1127. Porson. ad Eurip. Phoen. 28. Brunck. ad Soph. Philoct. 1194. cf. ad frgm. inc. 72. 79. all.

Euripidem invidia plenum fuisse; denique hanc coniecturam facile certam videri, si quae de Sophocle apud Plutarchum dicta essent, longe convenientius ad Euripidem referri reputavisses. Grandiloquus enim Aeschylus, πυργώσας ῥήματα σεμνά, honestus Sophocles, garrulus fere Euripides; immanis quodammodo primus in ornatu scenico, moderatus alter, Euripides interdum tenuis et pauperculus; tertio denique loco granditas Aeschyli bellicosam quandam virtutem spirat, Sophoclis familiaris gravitas est, Euripidis oratorium fere dicendi genus et sententiarum abundantia. Haec igitur satis ingeniose quidem disputata, ad rem vero non recte relata esse censeo. Primum enim illud manifestum est, qui reprehenderet, quae in Aeschylo nimia viderentur, eum non necessario prorsus contraria instituisse; tum ab Aeschylo ad Euripidem nullus transitus est, quem postulat comparatio cum philosophis, et Euripides si quem vituperare vellet, cuius ipse vitia emendasset, Sophoclem potius vituperare debebat, non Aeschylum; denique ipse Plutarchi locus evincit, Euripidem pro Sophocle omnino non intelligendum esse. Namque comparatio poëtarum cum philosophis, quam instituit scriptor, satis ostendit, qui quae Aeschyli propria essent mutasse dictus est, eum non vituperari, sed eadem laude affici, qua philosophi, qui tumido illo et inflato dicendi genere relicto ad meliorem rationem se convertissent: quod ad Euripidem haud ita facile quisquam referet, ad Sophoclem omnes. At iam ex nobis quaeret Lessingius, ubinam Sophocles illud dixerit? Ipsius quidem opi-

nionem, qua ex Aristophanis Ranis tale quiddam dictum ad Euripidem transferre studuit, prorsus improbandam censemus; quum quae Aristophanis propria verba essent, ea tam directe a Plutarcho illi tributa esse, cui a comico supposita erant, plane inauditum sit. Dixerit igitur Sophocles in scriptione de choro: quod satis verisimile est, quum hic libellus eiusmodi res fere necessario attingere deberet. In ipsis autem illis verbis, si verum quaerimus, tanta vituperatio, quantam viri docti putarunt, omnino non inest: quum sicuti etiam qui primum philosophati sunt, licet non statim optimam rationem ineuntes, tamen laude potius, quam vituperatione afficiuntur, sic etiam de Aeschylo statuendum sit.

His igitur argumentis Sophoclem superbiae vel iniustitiae contra Aeschylum insimulare non licet, praesertim quum alia quaedam, eaque maximi faciendа, plane diversam sententiam praebeant. Amicitiam inter utrumque auctoris vitae narratio ostendit, ex qua Aeschylus praeceptor Sophoclis fuit: quod sine causa a quibusdam in dubium vocatum esse diximus. Luculentius vero argumentum, quo poëtas honestissima consuetudine inter se coniunctos fuisse comprobatur, comoediae Aristophanis exhibent: cui mea quidem sententia in eiusmodi rebus fides habenda est. Quamquam qui contra disputare vult, facile obiectabit, comicum in vitiis et universa tragicorum condicione exponenda maximo studio commotum fuisse, ita ut in Euripide omnia vituperavisset, pauca in Aeschylo; Sophoclem vero omnium longe principem fecisset. Illud autem Ari-

stophanem facturum non fuisse credo, nisi Atheniensium de tragicis iudicium in universum idem esse cognovisset: quum bene sciret, inde odium haud exiguum sibi excitatum iri, quod ad diiudicandas ipsius comoedias maximi momenti foret. Hoc sane concedendum est, illum quodcunque Euripidis esset vehementer invisum habuisse. Sed in odio falsitas maior, quam in amicitia; quapropter quae ad Sophoclem pertinent, pleraque pro veris habenda esse arbitror; et in his haud dubie omnia, quae non tam ad artis rationem, quam ad vitae consuetudinem referuntur. De his rebus plurima in Ranis exposita sunt: in qua fabula scribenda comico propositum fuit, ut quae cuiusque tragicorum virtus et dignitas esset ostenderet. Eadem vero cum sapientium Atheniensium iudicio manifesto concinebat, quum ita omnibus placeret, ut et primam palmam reportaret et iterum docenda expeteretur: [400]) quamobrem ad veram rerum rationem inveniendam eo tutius illam sequi licet. Sophocles igitur quum primum ad inferos descendit, dextera data Aeschylum summa veneratione amplexus esse dicitur: cui contra Euripides sedem poëtarum principi apud inferos constitutam praeripere studuerat. Adveniente vero Sophocle Aeschylus sponte loco cedere vult: quod ille non patiens una cum eo sedem possidet. [401]) Postea quoque Aeschylus cum Plutone

400) cf. argum. Rann.

401) schol. ad v. 791. Καλλίστρατος· οὐχ ὡς παραδεδωκότος Αἰσχύλου τὸν θρόνον, ἀλλὰ ὡς παραδεδεγμένου αὐτὸν καὶ ὑποκεχωρηκότος τοῦ Σοφοκλέους.

abiturus hunc rogat, ut sedem Sophocli custodiendam tradere velit; ne forte ab Euripide occupetur.

His omnibus reputatis Sophoclem cum Aeschylo discordiam habuisse non credo: ab Euripide vero magis abalienatum fuisse certis argumentis probatur. Apud Aristophanem Aeschylo cum Euripide tragicum certamen de sede principatus ineundum est; Sophocles non certat: sed si forte Euripides victurus esse videatur, tum certare vult. Praeterea multae narrationes a rerum scriptoribus traditae qualis alterius in alterum animus fuerit ostendunt. Ad quem usum nullius momenti esse, quae de epistolis Euripideis huc illuc iactata sunt, vix monendum erit, quum eas suppositas esse Bentleius [402]) abunde demonstraverit.

Hieronymus Rhodius [403]) in commentariis historicis narravit, quum aliquando Sophocles puerum eximia pulcritudine amasset, hunc substrato sibi pallio poëtae erepto suaque ipsius veste relicta effugisse. Qua re comperta Euripides se et ipsum aliquando hoc puerulo usum esse dicens, nihil autem ei subiecisse, Sophoclem hominum ludibrio exponere studuit, quod propter intemperantiam deceptus esset. Quod quum ille audisset, usus fabula de Sole et Borea in Euripidem hoc epigramma fecit:

Ἥλιος ἦν, οὐ παῖς, Εὐριπίδη, ὅς με χλιαίνων
γυμνὸν ἐποίησεν· σοὶ δὲ φιλοῦντ' ἑτέραν
Βοῤῥᾶς ὡμίλησε· σὺ δ' οὐ σοφὸς, ὃς τὸν Ἔρωτα,
ἀλλοτρίαν σπείρων, λωποδύτην ἀπάγεις.

402) cf. Opusc. phil. p. 61. ed. Lips.

403) cf. Athen. XIII. p. 604. f.

Fabula fere nota est et a compluribus exposita. [404]) Sol et Boreas inter se certabant, uter prior viatorem ad deponendum pallium cogeret. Boreas summa vehementia in hominem invectus nihil effecit, nisi ut ille etiam arctius in vestem se involveret. Quum vero Sol accederet, viator caloris vi motus statim pallium abiecit. Ex hac igitur fabula Sophoclis epigramma hoc fere modo intelligi poterit: Pueri amor atque pulcritudo me impulerunt, ut pallium ei subiicerem, sicut etiam viator pallium abiecit, Solis calore incensus. Te vero, Euripide, tantum afuit, ut puer amore incenderet, ut quasi Boreas quocunque modo pallium tibi eripuisset, modo habuisset facultatem. At tu non sapienter facis, qui ipse aliarum amans Amorem istum vestes surripientem accusas. [405]) Sicuti enim Boreas frigoris atque inimicitiarum, sic Sol amoris atque pulcritudinis imago est. [406])

Ex eiusmodi rebus invidiosum quiddam, praesertim in hominibus tam politae eruditionis, facile cognoscitur. Quo factum est, ut si quid alter in altero reprehensione dignum inveniret, hoc non omisisse videantur. Sophocli quum quidam dixisset, Euripidem odisse mulieres, »In scena quidem, inquit, eas odit, non odit in lecto.« [407]) Atque hoc

---

404) Graece a Babrio, Latine ab Avieno; etiam a recentioribus.

405) Alii ἀκάγεις vertunt tecum ducis.

406) cf. quos laudat Jacobs. ad Anthol. Pal. animadv. vol. I. p. I. p. 318. sqq.

407) cf. Athen. XIII. p. 557. e. Stob. de intemp. 6. alibi.

vere dixit, quum etiam Athenaeus [408]) Euripidem mulierum amantem fuisse tradat; odium vero, quod in scena contra mulieres ostendit, id inde forsitan ortum esse Gellius [409]) coniecit, quod simul duas uxores habuisset. [410]) Sed in Sophoclis verbis praeter morum quandam vituperationem graviorem eam inesse censeo, quae ad artem spectat: nam Euripides feminarum crimina libentissime proferens et maximam partem improbas et sceleratas eas inducens, parum recte videtur fecisse. Eiusdem fere generis alia reprehensio artis Euripideae est, ab Aristotele commemorata, [411]) dixisse Sophoclem, se ipsum poësi sua homines repraesentare, quales repraesentari deberent, Euripidem, quales essent. Minime enim quales sunt homines poësi debent proponi; sed sicuti ipse sermo aliam et sublimiorem quandam naturam sibi poscit, sic etiam quaecunque humanis actionibus humilia aut parum digna in vita adhaerent, in tragoedia ab iis removenda sunt; ut ait Aristoteles, [412]) βελτίους μιμεῖται ἡ τραγῳδία: quòd Euripidem saepius neglexisse alii monuerunt. [413])

Denique ad rem maximi momenti est, quod interdum in ipsis tragoediis sibi adversati sunt. Pollux [414]) Euripidem vituperat, quod ex sua ipsius

408) libr. XIII. p. 603. e.
409) N. A. XV. 20.
410) cf. Vitas Euripid.; Suid. v. Εὐφιχ.
411) de poët. 25.
412) de poët. c. II. p. 5. Graefh.
413) cf. Porson. ad Eurip. Orest. v. 1106.
414) libr. VI. c. 26. 111.

mente et quae ad se pertinerent, per chorum in tragoediis dixisset, quum hoc comicarum parabasium sit, non tragoediae. «At etiam Sophoclem propter rixam [415]) cum eo interdum idem facere sicut in Hipponoo.» Nobis quidem ex hac fabula paucissima fragmenta servata sunt, ex quibus quod contra Euripidem dictum esse queat, nullum cognoscimus: quum potius Clemens Alexandrinus [416]) Sophoclem ex Euripidis Alexandro quaedam furatum in illam suam fabulam transtulisse dicat. Eius vero controversiae praecipuum exemplum fragmento ex Sophoclis Scyriis [417]) continetur:

πάντ' ἐμπέφυκε τῷ μακρῷ γήρᾳ κακὰ,
νοῦς φροῦδος, ἔργ' ἀχρεῖα, φροντίδες κεναί·

Euripides in Phoenissis v. 538.

ὦ τέκνον, οὐχ ἅπαντα τῷ γήρᾳ κακὰ,
'Ετεόκλεες, πρόσεστιν· ἀλλ' ἡ 'μπειρία
ἔχει τι δεῖξαι τῶν νέων σοφώτερον.

Sententiae manifesto contrariae et, quum iisdem fere verbis contineantur, fortasse de industria ita comparatae sunt. Sophoclis partes sicuti semper, sic etiam in hac re Aristophanes videtur sumsisse, dicens ille in Vespis v. 439.

---

415) ἐκ τῆς πρὸς ἐκεῖνον ἁμίλλης; alii propter aemulationem vertunt; Brunck. Soph. Hippon. frgm. qui melior eo videri volebat.

416) Stromm. VI. p. 621. Sylb.

417) cf. Stob. Floril. CXVII. p. 483. cf. Clem. Alex. Cohort. ad gent. p. 73.

εἶτα δῆτ' οὐ πόλλ' ἔνεστι δεινὰ τῷ γήρᾳ κακά;
δῆλα δή· κ. λ.[418])

In vita igitur quamquam sibi adversati sunt, Sophocles tamen non inhonestam invidiam suam fuisse postea praeclaro exemplo declaravit. Namque quum nuntius de Euripidis morte Athenas allatus in eoque tempore fabulae docendae essent, poeta ipse lugubri veste indutus in scenam prodiit et actores coronas deponere iussit, quibus ornari solebant.[419]) Cui narrationi quamvis a quibusdam[420]) parum tributum sit, tamen sola coniectura omnis auctoritas adimi non potest; praesertim quum res Sophoclis placida mente dignissima sit, et quod falsam esse demonstret, nihil usquam inveniatur. Ac iam omnino cuivis eam probatum iri censeo, quum cognoverit, explicatius et distinctis verbis idem in utili fragmento vitae Euripideae, nuper edito,[421]) narrari.

XIII.

DE FURTIS SOPHOCLIS, QUAE VOCANT, ET AMORIBUS.

Inter aequales quum omnium fere amorem sibi conciliasset Sophocles, mox tamen propterea quod clandestine quaedam fecisset, iam a veteribus pas-

---

418) cf. Porson. ad Eurip. Phoen. v. 538.

419) cf. Thom. Mag. vit. Eurip.

420) Iacobs. ad Sulz. theor. V. p. II. p. 337. aliis.

421) Ex Diario Eruditorum Parisiensi 1832. p. 240. illud communicavit Welcker. Mus. Rhen. Phil. I. 2. p. 297.

sim reprehensus est: in quibus eius furta, quae vocarunt, et amores paucis illustrabimus.

Philostratus Alexandrinus librum admodum memorabilem scripsisse fertur, περὶ τῆς τοῦ Σοφοκλέους κλοπῆς, de quo videndus Porphyrius apud Eusebium Praep. ev. X. c. 3. quod totum caput περὶ τοῦ κλέπτας εἶναι τοὺς Ἕλληνας scriptum est. *) Cuius libri argumentum quale fuerit quamquam non satis apertum est, tamen dubitari nequit, quin Philostratus demonstrare voluerit, Sophoclem ex aliorum scriptis quaedam ut sua ipsius protulisse. Eundem fere finem aliquando Clemens Alexandrinus [422]) persequutus est. Qui ut ostenderet, Graecos multa ex bibliis sacris didicisse sibique assumsisse, illud minime mirandum esse monuit, quum vel ipsi inter se alter alterius sententias furati essent. Cuius rei vestigia quum in eorum scriptis, qui diversis temporibus vixissent, tum vel maxime inter aequales, qui secum certassent, plurima inveniri conatus est domonstrare; et ad hoc efficiendum etiam Sophoclis atque Euripidis quosdam versus inter se comparavit. Qui quidem omnes ita expressi sunt, ut sententias veras et ad totam vitam pertinentes contineant: quas unicuique facillime in mentem venire apparet, neque alter ab altero doceri debuit. Quod quo luculentius intelligatur, exempla quaedam perscribere volumus. Euripides igitur in Oresta v. 205:

---

*) De plagiariis antiquis in universum quaedam dixit Io. Taylor. lectt. Lys. c. II. ed. Lys. Lond. 1739. p. 678 sq.

422) Stromm. l. VI. p. 621. sq. Sylb.

ὦ φίλον ὕπνου θέλγητρον, ἐπίκουρον νόσου.

Tum Sophocles in Eriphyla:

ἄπελθ᾽ ἐκείνης ὕπνος ἰατρὸς νόσου.

Uterque poëta eandem sententiam exhibet: idcircone alter ab altero furatus est? Somnum malorum benignum medicum esse sexcenti dixerunt, qui ne per somnium quidem Sophoclem vel Euripidem cogitarunt. Prorsus eiusdem generis cetera omnia sunt, neque verbum addere opus est:

Euripides Ctimeno:

τῷ γὰρ πονοῦντι καὶ θεὸς συλλαμβάνει.

Sophocles Minoe sive Camiciis:

οὐκ ἔστι τοῖς μὴ δρῶσι σύμμαχος θεός.

Euripides Alexandro:

χρόνος δὲ δείξει· ᾧ τεκμηρίῳ μαθὼν
ἢ χρηστὸν ὄντα γνώσομαί σε, ἢ κακόν.

Sophocles Hipponoo:

πρὸς ταῦτα κρύπτε μηδέν· ὡς ὁ πάνθ᾽ ὁρῶν
καὶ πάντ᾽ ἀκούων πάντ᾽ ἀναπτύσσει χρόνος,

quos Sophoclis versus Peregrinus philosophus semper in ore habendos esse dixit.[423]) Clemens Sophoclis versum addere poterat, quem Stobaeus [424]) habet:

πάντ᾽ ἐκκαλύπτων ὁ χρόνος εἰς τὸ φῶς ἄγει.

Haec et alia quaedam his similia sanctus pater attulit; sed in omnibus nihil omnino inest, quapropter alterum poëtam imitationis, nedum furti accusare liceat. Ac ne Philostratus quidem licet sexcentos libros de Sophoclis furtis scripserit, aliud quiddam gravioris momenti effecisse putandus est. Quam-

---

423) cf. Gell. N. A. XII. 11.
424) Eclog. p. 141.

quam Euripidem saepius ex Sophocle quaedam imitatum esse, et peius quidem in suum usum convertisse, quae ab altero melius expressa essent, Valckenarius [425]) conatus est demonstrare. In eadem quaestione versatur Boeckhius, [426]) de eiusmodi rebus quid statuendum sit vere illustrans. Itaque etiam Sophoclem ab aliis scriptoribus interdum quaedam in sua transtulisse neque vituperandum est, neque vero, quod miremur. Ex Herodoto [427]) expressa sunt, quae in Antigona v. 908. leguntur:*) quamquam Clemens, [428]) utrumque locum laudans, Herodoti furtum accusat. Sed recte iam Wesselingius [429]) et cum eo alii, [430]) rem aliter se habere monuerunt. Apud Herodotum enim ea rerum ratio est, ut omnino nulla fere alia verba adhiberi possint. Intaphernes cum uxore et liberis captus est; mulieri quum victor Darius concessisset, ut unum ex captis liberaret, coniuge et liberis neglectis fratrem elegit. Quamobrem mirato regi et causam tam singularis electionis quaerenti mulier respondit: «Coniux forsitan deo favente alius mihi fiet, aliique liberi, si his privabor: patre vero et matre mea non iam viventibus nullo modo alius frater mihi exsistet.« Tota rerum series hoc prorsus ita

---

425) ad Eurip. Phoen. v. 500. v. 877. alibi.
426) de trg. Gr. p. 245. sqq.
427) libr. III. 119.
*) Ex Sophocle hanc narrationem perscribit Aristot. Rhet. III. 16.
428) Stromm. VI. exord. p. 625. d. Sylb.
429) Dissert. Herod. p. 175. sq.
430) cf. Heyse. vit. Herod. I. p. 67. n. 60.

postulabat, et vix aliter dici potuit. In Antigona vero idem dictum aliquanto longius repetitum est. Virgo se recte fecisse ait, quum fratrem humavisset; neque enim erga coniugem et liberos, si quos habuisset, contra civium voluntatem illud se facturam fuisse: quum coniugem et liberos alios accipere posset, fratrem parentibus mortuis non posset. Itaque vides quod apud Herodotum res efflagitabant, id Sophoclem non nisi a rerum vera ratione discedentem condicionibusque interpositis protulisse: quapropter quum locorum similitudo certam scriptorum coniunctionem ostendat, Sophoclem ab Herodoto sua sumsisse statuendum est. Neque vero cum hac opinione pugnat, quod post editam Antigonam Herodotus opera sua publicasse perhibetur; Sophocles enim familiari consuetudine cum eo coniunctus facile privata lectione illud acceperit. Eodem igitur modo quae Oedipus[431]) de Aegyptiis dicit, poëtae per Herodotum[432]) comperta esse dicunt; neque est, cur negemus. Vix autem crediderim, quae chorus extremo Oedipo Rege de humana felicitate praedicat, ex Herodoti[433]) narratione de Solone et Croeso profecta esse: praesertim quum et haec ipsa haud dubie etiam ante Herodotum inter Graecos notissima fuerit, et illa

431) cf. Oed. Col. v. 338 sqq.
432) cf. libr. II. 35.
433) cf. libr. I. 32.

sententia rebus eodem modo comparatis necessario se obtrudens sexcenties ab aliis prolata sit.[434])

Quae utcunque sunt, iusta reprehensione semper carebunt. Sed unus maxime insignis locus exstat, cuius non solum sententia, sed verba apud Aeschylum et Sophoclem prorsus eadem sunt. Athenaeus[435]) ex incerta Aeschyli fabula (Argivos esse suspicatus est Boeckhius de trg. Gr. p. 30.), qua Graecos indecenter ebrios ab eo induci dicit, hos versus perscripsit:

. . ὅδ' ἐστὶν, ὅς ποτ' ἀμφ' ἐμοὶ βέλος
γελωτοποιὸν, τὴν κάκοσμον οὐράνην,
ἔρριψεν, οὐδ' ἥμαρτε· περὶ δ' ἐμῷ κάρᾳ
πληγεῖσ' ἐναυάγησεν ὀστρακουμένη,
χωρὶς μυρηρῶν τευχέων πνέουσ' ἐμοί.

Ibidem Athenaeus et ex eo Eustathius[436]) ex Sophoclis fabula, Ἀχαιῶν συλλόγῳ, haec:

ἀλλ' ἀμφὶ θυμῷ τὴν κάκοσμον οὐράνην
ἔρριψεν, οὐδ' ἥμαρτε· περὶ δ' ἐμῷ κάρᾳ
κατάγνυται τὸ τεῦχος οὐ μύρου πνέον·
ἐδειματούμην δ' οὐ φίλης ὀσμῆς ὕπο.

In quorum versuum similitudine facile suspicio oriri poterat, Sophoclis Ἀχαιῶν σύλλογον nihil aliud esse atque interpolatam Aeschyli fabulam: quae interpolatio ante legem Lycurgi de non immutandis tragicorum principum fabulis, latam circa Ol. CIII.

---

434) cf. Eurip. Androm. v. 100. Electr. 954. Troas. 513. Tyndarei fragm. p. 31. Ovid. Metam. III. 135. Auson. lud. Sapient. VII. alii.

435) libr. I. p. 17. c.

436) ad Odyss. ρ. p. 642. 40.

facta esset.[437]) Sed Sophoclis Achivorum convivium nimis saepe a multis citatur, quam ut hoc credi liceat.[438]) Neque etiam, opinor, Philostratus aut Clemens Alexandrinus tam insigne argumentum emisissent, quo quantopere Graeci scriptores alter ab altero furati essent comprobarent. Eandem ob causam ita utriusque tragici locum comparatum fuisse arbitror, ut de furto omnino cogitari nequiret, sed Sophocles de industria illa verba repeteret, Aeschyli nomen minime occultans: quod si fabulae exstarent certius diiudicari posset. Neque desunt alia eiusdem fere generis. Sic apud Aeschylum[439]) Agamemno exclamat:

ὤ μοι, πέπληγμαι καιρίαν πληγὴν ἔσω,

et statim:

ὤ μοι μάλ' αὖθις δευτέραν πεπληγμένος.

Eodem modo apud Sophoclem[440]) Clytaemnestra:

ὤ μοι, πέπληγμαι,

et statim:

ὤ μοι μάλ' αὖθις.

Sed bene Boeckhius[441]) monuit, elegantissime a Sophocle idem repetitum esse. Quid enim convenientius erat, quam Clytaemnestram eadem verba exclamantem occumbere, quae maritum eius, quum ab ipsa occideretur, aliquando exclamasse auditoribus ex Aeschyli fabula constaret? Sed tamen vete-

---

437) cf. Boeckh. de trg. Gr. p. 131. sqq.
438) cf. Welck. trilog. p. 452. sqq., additt. p. 170. sqq.
439) Agamemn. v. 1316. Wel.
440) Electr. v. 1407.
441) de trg. Gr. p. 244.

res fere omnes ubicunque imitationes videri sibi viderentur, pro furtis eas habentes vituperarunt: nisi quod auctor vitae hanc ut praecipuam Sophoclis laudem praedicat, etiam alios multos aut priorum quosdam aut aequalium imitatos esse dicens, solum vero Sophoclem pulcherrimum quodque decerpsisse.

Exstat celeberrimus versus, quem Plato Euripideum esse dicit: 442)

σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ.

Eundem ex Sophoclis Aiace Locro esse multi scriptores testantur: Stobaeus, 443) Libanius, 444) Zenobius, 445) Gellius, 446) Ael. Aristides: 447) qui adeo diserte addunt, ne Platoni quidem omnia temere credenda esse, qui etiam in hac re erravisset. Errorem Platonis viri docti iam dudum notarunt; 448) sed a sciente eum commissum esse, non est, quod arbitremur; quamquam eodem modo etiam in Theage p. 125. d. legitur. Boeckhius 449) versum ab histrionibus in Sophoclem posse illatum videri, aut Aiacem Locrum minoris Sophoclis fuisse coniicit; quo res ad explicandum facilior fiat. Sed si in ulla vel avi vel nepotis fabula versus ille exstitisset, re vera autem Euripidis fuisset; Philostratus

442) de rep. VIII. p. 568.
443) Floril. XLVIII. p. 183.
444) Epist. 33.
445) Prov. V. 98.
446) N. A. XIII. 18.
447) tom. II. p. 477.
448) cf. Brunck. ad frg. Aiac. Locr.; Lessing. vit. Soph. p. 163.
449) de trg. Gr. p. 247.

et Clemens Alexandrinus haud dubie tam praecipuum atque omnibus cognitum furti argumentum non reliquissent. Quapropter utrius poetae versus ille putandus sit, certo quidem decerni non potest: quamquam ipsi eum Sophocli tribuere non dubitamus. —

Sophoclem puerorum amatorem fuisse quum Athenaeus [450]) diserte dicat, tum multis veterum narrationibus de eiusmodi rebus comprobatur. Cicero [451]) Periclem laudat, qui quum Sophocles, praetor cum ipso, in concione de formoso puero forte praetereunte dixisset: O puerum pulcrum, Pericle! haec verba praetorem dedecere respondisset. Idem duobus aliis locis narratur, apud Plutarchum et, si non idem est, eum, cuius sunt vitae decem oratorum: [452]) nisi quod posteriori loco dictum illud non ad Periclem, sed ad Isocratem relatum est: »Non manus solas, Sophocle, sed etiam oculos praetorem castos servare decet.« Ad Isocratem autem referri non licet; primum quod etiam Cicero aliique [453]) Periclem fuisse dicunt; tum quia rhetor quamvis ad summam senectutem vixerit, tamen sexaginta circiter annis Sophocle natu minor vix unquam ita cum eo conversari potuit; denique Isocrates illud dixisse traditur Sophocli amanter puerulum sequenti: in qua occasione tale quiddam dictum

450) libr. XIII. p. 603. e. alibi. De Sophoclis amoribus dixit quaedam Huschk. anall. crit. p. 20.

451) de Off. I, 40.

452) Vit. Isocr. t. IX. p. 336. Reisk.

453) cf. Val. Max. IV. 3. extern. 1. et quos ibi laudant interprett.

minime aptum est: ita ut ex errore aliunde translatum esse appareat.

Aliud factum Hieronymo Rhodio auctore Athenaeus narrat: quod supra commemoravimus. Idem Sophoclem quidem φιλομείρακα appellavit, oppositum Euripidi, qui φιλογύνης fuisset; sed tamen et ipsum a mulieribus minime abstinuisse multis exponit.[454]) Unde factum est, ut eum et voluptatibus deditum appellare non dubitaret,[455]) atque adeo quum iocularem et ludibundum fuisse sciret, homo stultus Epicuri magistrum eum faceret. Dicit enim duobus locis:[456]) »Voluptatis praedicator ante Epicurum Sophocles fuit, dicens ille in Antigona v. 1165:

τὰς γὰρ ἡδονὰς
ὅταν προδῶσιν ἄνδρες, οὐ τίθημ' ἐγὼ
ζῆν τοῦτον, ἀλλ' ἔμψυχον ἡγοῦμαι νεκρόν.
πλούτει τε γὰρ κατ' οἶκον, εἰ βούλει, μέγα,
καὶ ζῆ τύραννον σχῆμ' ἔχων· ἐὰν δ' ἀπῇ
τούτων τὸ χαίρειν, τἄλλ' ἐγὼ καπνοῦ σκιᾶς
οὐκ ἂν πριαίμην ἀνδρὶ πρὸς τὴν ἡδονήν.

Quo loco peregregie composito homo mirifice abusus est. Primum enim vix est, quod moneamus, Sophoclem non ex sua ipsius mente sententiam illam proferre, sed nuntio tribuere, cuius vulgari eruditioni vix quidquam magis accommodatum esse potuit; deinde illo loco ἡδοναὶ ne sunt quidem, quas voluptates Epicurum putavit praedicasse, sed oppo-

---

454) vide, quae diximus p. 99. sqq.
455) libr. XII. p. 510. b.
456) libr. XII. p. 547. c. cf. libr. VII. p. 280. b. c.

nuntur turbatae et afflictae vitae, quae Creontem, qui externis illis rebus etiamtum maximopere ornatus erat, nunc propter tot ac tanta infortunia omni gaudio privatura est. In hac igitur re Athenaeum opinio egregie fefellit; ipsum vero Sophoclem amoribus deditum fuisse ex tam disertis argumentis manifestum est. Constat autem, eiusmodi res, nisi quae modum prorsus excederent, inter Graecos vix dedecori fuisse: ita ut optimos quosque et probatissimos viros iis subditos esse Athenis saepe pervulgatum esset, bona eorum fama plane integra. Atque adeo ipse Athenaeus [457]) »amoris studia ita increbuisse et iis captum a nemine pro insolenti habitum esse dicit, ut ipse Aeschylus, quamvis magnus poëta, et Sophocles tragoediis suis amores in theatrum induxissent, ille Achillis erga Patroclum, hic in Nioba Niobidarum: unde etiam nonnulli τὴν τραγῳδίαν παιδεραστάν nominassent; et eiusmodi carmina spectatores excepisse et didicisse.« Ad illas vero fabulas quod attinet, tamen vix quidquam ex hoc loco sequitur, quam ut in iis multa de rebus amatoriis cantata sint. [458])

Ad senectutem provectus Sophocles eius incommoditates aequo animo tulit: de qua re luculentum Platonis [459]) testimonium habemus; qui posteaquam quosdam amori nimis deditos commemoravit, ita pergit: »Ego vero iam inveni et alios quosdam, qui

---

457) libr. XIII. p. 601. a.
458) Plut. moral. p. 760. cf. Valcken. diatr. Eurip. p. 13. b. c.
459) de rep. I. p. 329. b.

non ita se haberent, atque etiam aliquando cum Sophocle poëta conversatus sum, quum ab aliquo interrogaretur: »Quemadmodum, inquit, o Sophocle, vales in rebus venereis? potesne etiamnum cum femina coire?« »Dii meliora, o homo, respondit; maximo meo cum gaudio equidem inde effugi, ac si ferocem et rabiosum dominum effugissem.« Bene igitur et tunc ille mihi visus est dixisse, neque etiamnum minus. Omnino enim earum rerum in senectute multa pax atque liberatio: namque si cupiditates intendi desinunt et remittuntur, omnino Sophoclis dictum evenit, ut a dominis valde multis et furentibus libereris.« Vides igitur, senem Sophoclem non tam libidinosum fuisse, quam imprimis Athenaeus saepius dixit. Ex Platone eadem narratio ad multos alios scriptores 460) transiit. Memorabilis autem Suidae locus in vita Sophoclis minoris, ubi eadem res ad hunc relata est, non ad tragicum nostrum: Ἀπολλώνιος ἐς σωφροσύνην ὑπερεβάλλετο τοῦ Σοφοκλέους· ὁ μὲν γὰρ λυττῶντα ἔφη καὶ ἄγριον δεσπότην ἀποφυγεῖν ἐλθών (sic erat dicendum, non ἐλθόντα) ἐς γῆρας κ. λ. Apollonium vero etiam adolescentem a rebus venereis abstinuisse.« Manifesto haec quoque ex illo Platonis loco expressa sunt; atque eadem ab eodem Suida s. v. Ἀπολλώνιος referuntur. In vita Sophoclis illa Apollonii commemoratio admodum

460) Plut. περὶ φιλοπλουτίας p. 525. a. Non posse suaviter vivi secund. Epic. p. 1094. f. Xylandr.; Athen. XII. p. 510. b. Stob. laud. sen. CXII. extr.; id. de intemp. VI. exord.; Clem. Alex. paedag. II. p. 194. Cic. Cat. mai. 14. Val. Max. IV. 3. extern. 2. Amm. Marc. XXV. 4.

repentina et mira est: ita ut scriptor paulo antea eundem locum apud Philostratum [461]) legisse et tunc etiam recordatus esse videatur. Atque eius verba, ita composita, ut nunc leguntur, quodammodo significare, Apollonium Sophoclis fere aequalem fuisse, facile vides; quapropter locus leniter corrigendus est. Apud Philostratum legitur ὑπερβαλλόμενος καὶ τὸ τοῦ Σοφοκλέους, etiam ultra Sophoclis dictum progressus. Quibus inter se comparatis articulum τὸ apud Suidam excidisse et addendum esse apparet, ut sit ὑπερεβάλλετο τὸ τοῦ Σοφοκλέους, quem propter antecedentem syllabam facillime omitti potuisse vides. Sed fortasse iam quis aliam quaestionem gravioris momenti oriri dixerit, referendumne illud dictum ad minorem Sophoclem sit, an secus: praesertim quum illud Suidas voluerit, alii utrum cogitaverint, non distincte dixerint. Verum in Platonis locum inquirentes Suidae errorem esse invenimus. Ibi Sophocles ante tempus quoddam illud dixisse et iam tum senex fuisse perhibetur. Totam rem narrat Cephalus senex, Socrate aliquanto natu maior, ita ut nostri Sophoclis fere aequalis fuisse putandus sit. Eum igitur etiamsi usque ad summam senectutem vixisse statuimus, cum aequalis sui nepote, et ipso iam ad senectutem provecto conversatum esse non posse liquet: ita ut sine ulla dubitatione Sophoclem, praestantissimum tragicum poëtam, intelligere debeamus.

---

461) Vit. Apoll. l. I, c. 13. p. 16. Olear.

XIV.

SOPHOCLIS MORS.

Sophoclem usque ad summam senectutem felicissima corporis valetudine fruitum et morborum molestiis non vexatum fuisse, ex omnibus illis narrationibus satis intelligitur. Sed ne animum quidem annorum serie opprimi passus est, verum in faciendis tragoediis, quibus iuvenis et vir vitam suam tribuerat, usque ad finem vitae perseveravit: quod multorum scriptorum testimoniis confirmatur. [462]) Euripidis mors quum aliquod tempus, anteaquam Sophocles obiit, Athenis nuntiata esset, hic ut merita laude afficeret, a quo vivente discrepuerat, senex nonagenarius in scenam prodiit et histriones coronas deponere iussit. Quo accedit, quod ipsa viri mors cum scena et fabula adeo coniuncta fuisse perhibetur, ut eum quasi genium artis tragicae ab ipso Baccho e vita sublatum veteres credidisse putaveris. Propter hanc ipsam causam variae de eius morte narrationes ferebantur. [463]) Scriptor vitae haec fere habet: »Ister et Neanthes hocmodo eum obisse dicunt: Callippides actor quum Opunte ab arte Athenas ad Choas venisset, Sophocli uvam misit: qua accepta hic acinum acerbum in os iniicens quum admodum senex esset suffocatus obiit. Satyrus vero narravit, poëtam in le-

---

462) Cic. Cat. mai. 7. Val. Max. VIII. 7. extern. 12. aliorum.

463) περὶ τῆς Σοφοκλέους τελευτῆς librum scripsit Ptolemaeus Hephaestionis filius cf. Phot. bibl. p. 146. a. 41. ed. Bekk.

genda publice Antigona quum ad finem in longam sententiam incidisset et distinctionem ad requiescendum non invenisset, vocem nimis intendisse eoque modo cum ipsa animam edidisse. Alii etiam volunt, acta fabula quum victor renunciatus esset, prae gaudio eum e vita decessisse.« Itaque scriptor tres varias rationes esse dicit, quarum alia secundum alios mortuus esse Sophocles diceretur. Primum, quod Satyrus dicit, senem nimia lectionis fatigatione consumtum obisse, id neque ab alio quoquam comprobatum est, neque per se multum verisimilitudinis habet. Eam enim narrationem admodum miram videri recte monitum est a Boeckhio: [464]) namque qui ne iuvenis quidem propter tenellam et exilem vocem nisi mutae fere personae partes agere potuit, illumne senem nonaginta annorum egisse vel lectitasse publice fabulas? Hoc igitur iam relinquendum erit. Alterius narrationis, quae Sophoclem admodum senem uva in faucem immissa exstinctum facit, antiquissimum auctorem Simonidem habemus, poëtam lyricum, non praecipuum illum, sed tamen virum magnae gloriae. Is in Sophoclem hoc epigramma composuit:

Ἐσβέσθης, γηραιὲ Σοφόκλεες, ἄνθος ἀοιδῶν,
οἰνωπὸν Βάκχου βότρυν ἐρεπτόμενος.

Minime dubium est, quin qui reliqui eandem memoriam exhibent, Lucianus, [465]) Stobaeus, [466]) alii

464) de trg. Gr. p. 212.
465) Macrob. t. III. c. 24. p. 226.
466) de vit. brev. XCVI.

toti ex illo auctore pendeant. Quamobrem Lessingii coniecturam, illam narrationem allegorice explicandam statuentis verissimam esse censeo: quamquam dubitare videtur Iacobsius,[467]) quia etiam Anacreon uvae acino suffocatus esse diceretur, ad quem allegorica illa ratio tamen non posset referri.[468]) Sed nisi eodem modo, quo de Sophocle, tamen aliquo etiam de Anacreonte illud allegorice dictum licet cogitari; atque ad Sophoclem haec narratio eo minoris momenti est, quum ipsi Valerius Maximus et Plinius, quorum alter adeo opera dedita de mortibus non vulgaribus scribere instituit, inter Sophocleae et Anacreonteae mortis genus distinguendum iudicarunt, illum uterque gaudio oppressum esse dicens, hunc acino uvae passae suffo atum. Sophocles igitur ubique, tam in hoc, quam in ceteris epigrammatis, variis de morte sua narrationibus intime cum Baccho coniunctus est, qui utpote tutor atque antistes tragicae artis eiusdem principem imprimis diligere ferebatur. Itaque tragica victoria bene pro dei dono accipi potuit, et per comparationem cum vino uva, et ipsa Bacchi donum praestantissimum, nominari: cuius igitur victoriae quum nimiam, ut ita dicere liceat, magnitudinem Sophocles simul concepisset, a dono Bacchi oppressus quasi uva in faucem immissa exstinctus esse optime dictus est. Quae quum allegorice

467) Anthol. Pal. t. VI. p. 270.

468) cf. Plin. N. H. VII. 7. (Sillig.) Val. Max. IX. 12. extern. 8.

a poëta expressa essent, grammatici ad verbum interpretati ita pro veris habuerunt et tradiderunt. Haec igitur Lessingii de illo epigrammate coniectura quum per se verisimillima sit, fere supra omnem dubitationem eo extollitur, quod non solum auctor vitae plures fuisse tradit, qui Sophoclem nimio gaudio de victoria necopinata obrutum esse dixissent, sed plurimi, qui exstant, veterum scriptorum loci [469]) mortis Sophocleae rationem prorsus eandem narrant, et de ceteris omnibus plane tacentes satis indicant, illis fidem habendam non esse. Itaque prae gaudio de inopinata tragici certaminis victoria poëta mortuus est: quam qua fabula reportaverit incertum est, nisi quis propter Satyri memoriam Antigonae repetitam editionem fuisse coniecerit. [470])

De tempore mortis Sophocleae haud ita magna differentia est: quamquam accuratissimos fines constituere videtur difficillimum. Quod in quibusdam editionibus apud Suidam legi, et Lessingius etiam alibi [471]) inveniri dicit, Sophoclem sexto anno post Euripidem occubuisse; hoc vix dignum est, quod commemoretur: neque magis morandum in refutandis aliis erroribus, qui Ol. XCII. 3. vel 1. statuunt, fortasse inde ortis, quod posteriori anno post Cleocritum Callias archon fuit: cuius nominis

---

469) cf. Diod. Sic. XIII. 103. Val. Max. IX. 12. extern. 5. Plin. VII. 54.

470) cf. Boeckh. de trg. Gr. p. 211. alibi.

471) Euseb. chron. p. 313. ed. Ianson. 1658.

magistratum fuisse, quo tempore Sophocles obiit, cognitum erat. De utriusque tragici morte Diodorus,[472]) tradit Sophoclem Callia Athenis archonte anno tertio Ol. XCIII. nonaginta annos natum mortem occubuisse: Euripidem vero secundum Apollodorum eodem anno obisse. Ad Sophoclem quod attinet, marmor Parium[473]) cum Diodoro plane consentit: neque minus argumentum tertium Oedipi Colonei: ita ut si quidem veterum testimonia sequi licet, hic annus sine dubitatione pro vero habendus sit. Sed post sextum fere huius anni mensem neque Euripides neque Sophocles in vivis fuerunt, quum certo iam unum vel alterum mensem obissent, anteaquam Aristophanes Ranas docuit, quas edidit ἐπὶ Καλλίου ἄρχοντος τοῦ μετὰ Ἀντιγένους ἐπὶ Ληναίῳ,[474]) qui dies festi in octavum mensem incidunt. Mors tragicorum in ipsa fabula saepe significatur, imprimis v. 720 — 750. Praeterea in argumento tertio Oedipi Colonei grammaticus, ut quo tempore Aristophanes Ranas docuisset, Sophoclem iam mortuum fuisse demonstraret, ex Phrynichi Musis,[475]) quae una cum Ranis doctae essent, complures versus illam sententiam manifesto ostendentes perscripsit. In quibus fabulis quum Sophoclis mors non solum saepius diserte commemoretur, sed totum argumentum ea nondum cognita nullo

---

472) libr. XIII, 103.
473) lin. 65.
474) cf. argum. Rann.
475) cf. arg. Rann.

modo conceptum esse possit; satis verisimilis sententia videtur, quae poëtam uno vel duobus mensibus ante Ranas obisse statuit.

Quibus disputatis satisfecero plurimis, qui hucusque in rem inquisiverunt: illi enim prorsus non respexerunt ad magnas istas et, ut videri possit, fere inexplicabiles difficultates, quae necessario inde oriuntur: nedum eas removere conati essent. Propositae autem sunt a Boeckhio.[476] Primum igitur Sophocles Istro ac Neanthe auctoribus in solemnibus Choum exstinctus videtur perhiberi, quae non commutata neque commutanda sunt cum Dionysiis Ruralibus; Sophoclis mors autem aliquamdiu ante Ranarum editionem ponenda est, i. e. ante Lenaea Ol. XCIII. 3. sive ante Gamelionem, in quem haec incidisse Boeckhius comprobavit. Choes autem post Lenaea inciderunt: quapropter si Sophocles Choibus, qui Lenaea Ol. XCIII. 3. antecesserunt, mortuus esse putatur, hoc non nisi Choibus anni alterius eiusdem Olympiadis factum esse potest. Denique etiamsi Choas atque Dionysia Ruralia permista esse statuimus, tamen res minime explicatae sunt. Namque quum Aristophanes et Phrynichus ad fabulas suas meditandas, perficiendas, docendas uno saltem mense opus haberent,[477] Lenaea autem, quibus Ranas atque Musas editas esse constat,

476) De Dionysiis etc. in Actt. Acad. Reg. Berol. 1816 et 1817. p. 97. n. 120. p. 103. n. 145. sq. cf. de Antig. p. 61. ibid. 1824.

477) cf. Boeckh. de trg. p. 211. alibi.

in Gamelionem inciderent, ita ut vix uno mense a Parvis Dionysiis, medio Posideone celebratis, distarent: plane consentaneum videtur, Aristophanem ad scribendas Ranas iam ante Dionysia Ruralia animum appulisse; unde Sophoclem his solemnibus mortuum non esse sequitur. Ac tamen Dionysi festo die eum obisse narrationes omnes confirmant; quapropter quum Dionysia Ruralia cuiusque anni prima Bacchi solemnia sint, mors tragici omnino ad annum superiorem videtur pertinere. Itaque haec rerum series atque complexio ad expediendum difficilis quidem est, sed tamen, ni fallor, his argumentis cum ceteris rationibus optime concilianda. Primum ab anno tertio Ol. XCIII. disertissime a veteribus indicato, nisi coactis discedendum nobis non esse apparet Deinde quum Sophocles omnium memoria post lectam publice vel actam fabulam obisse perhibeatur, etiam hoc in certis numerandum: quamquam ipsis Choibus illud accidisse diserte dictum est nusquam. Quod ex quo loco colligi posse putarunt, eum falsum esse monuit Boeckhius:[478]) nam neque illo tempore, neque Lenaeis, neque Magnis Dionysiis uva ἔτι ὀμφακίζουσα ulla esse potuit; potuit autem Dionysiis Ruralibus, quum haec omnium prima essent. Tum animadvertendum est, Aristophanem atque Phrynichum, si Sophocles Anthesteriis aut Magnis Dionysiis mortuus fuisset, omnino non bene fecisse, interiectis Dionysiorum Ruralium solemnibus Lenaeis demum mortem tragici celebrantes.

478) de Dionysiis p. 203. sqq. n. 145.

Etenim ad Parva Dionysia ab Anthesteriis novem, a Dionysiis Urbanis octo menses sunt: quo tempore si alterutris solemnibus Sophoclis mors incidisset, comoediae bene conscribi et doceri potuerunt: ita ut Parvis Dionysiis edendae fuissent, non retinendae usque ad Lenaea. Hanc ob causam etiamsi de mortis Sophocleae tempore nihil diserte traditum esset, tamen aut paululum tantum, aut omnino non ante Parva Dionysia eiusdem anni illam evenisse censerem, cuius Lenaeis Ranae atque Musae editae sunt. Omnia igitur Ol. XCIII. 3. postremum Sophoclis annum fuisse monent; neque ab eo recedendi ulla iam restat causa, nisi quod Aristophanes ac Phrynichus spatio illo inter Parva Dionysia et Lenaea interiecto fabulas suas meditari, perficere, atque histriones docere non potuisse videntur. Ad quod instaurandum etiamsi minimum statuere velis, unus tamen integer mensis necessario concedendus est: quem quum sufficere ipse Boeckhius auctor sit, unusquisque ad hanc sententiam facile accedet: Dionysia Ruralia autem vix uno mense a Lenaeis distare videbantur. Quod quamquam alias verum fuit, non fuit eo anno, quo Sophoclem mortuum esse omnes tradiderunt; is enim utpote octavus in altero cyclo canonis, quem vocant, Metonici, intercalaris erat. Mensem vero intercalarem constat Posideonem fuisse: quo fit, ut Sophocle medio Posideone priori mortuo, et reliquum huius mensis tempus et integrum Posideonem posteriorem et initium Gamelionis i. e. duo fere menses inter Sophoclis mortem et Ranarum editionem intercessisse appa-

reat. Sic dubitationis omnes causae remotae sunt, et Olymp. XCIII. 3. postremum tragici nostri annum fuisse certum est.[479]) Quum vero omnium memoria Dionysi solemnibus eum obisse affirmetur, mortem ipsis Dionysiis Ruralibus accidisse apparet, i. e. Ol. XCIII. 3. medio Posideone priori, sive rationibus ad nostra tempora relatis circa medium Decembrem anni quadringentesimi sexti a. Chr. n.

479) Ipsum etiam Euripidem non Ol. XCIII. 2., sed 3. mortuum esse certissime credo. Marmor Parium quidem Ol. XCIII. 2. archonte Antigene eum obisse dicit; sed illud huius temporis numeros omnes fere uno anno auctiores exhibere, quam par est, supra monuimus: atque quamquam hoc loco additum est archontis nomen, tamen, cuius maior auctoritas, Apollodorus chronographus secundum Diod. XIII. 103. poëtam Callia archonte Ol. XCIII. 3. fato functum esse tradidit. Consentiens cum hac sententia Timaeus historicus ap. Plutarch. Sympos. l. VIII. p. 717. c. Euripidis mortem eodem die evenisse dicit, quo Dionysius maior tyrannidem occupasset. Verba quidem non satis aperta esse videntur: ἐγεννήθη τῶν ἐν Σικελίᾳ τυράννων; in quibus explicandis cum Boeckhio de trg. Gr. p. 209. prorsus assentiendum est Wesselingio ad Diod. l. l., nihil aliud ea esse ostendenti, ac si dictum esset ἐγένετο τύραννος. Simili modo Cicero verbo nascor usus est: a vobis natus sum consularis; fortunatam natam me cos. Romam i. e. factus s. creatus; factam s. redditam. Quamquam ne sic quidem Timaei sententia omni ex parte vera est, quum Dionysius non ante dimidium illum annum tyrannus factus sit: sed differentia tamen non nisi aliquot mensium. Itaque Olymp. XCIII. 3. postremum Euripidis annum fuisse ipsis veterum disertis testimoniis maxime probatum est. Accedit, quod accurata rerum ratio eundem efflagitat. Id enim iam inter omnes convenit, natum esse Euripidem Ol. LXXV. 1.; vixit autem secundum Eratosthenem, optimum harum rerum auctorem, aliosque plurimos, annos septuaginta quinque, sive Olympiades XVIII, annos II. vel III. Quibus ad Ol. LXXV. 1. annumeratis, eum Ol. XCIII. 3. obisse probabilissimum esse apparet; ad Ol. XCIII. 2. mortem pertinere non posse.

Fuit autem eo tempore octoginta novem annos et quatuor circiter menses natus: ita ut eum plerumque nonagenarium appellari nihil mirandum sit. Marmoris Parii vero, quod unum et nonaginta annos ei tribuit, errorem inde ortum esse manifestum est, quod idem natalem Sophoclis annum aliquanto priorem fecit, quam vera ratio postulat. [480])

De humatione Sophoclis memorabilis fama inter veteres obtinuit. Paterna eius sepulcra quum Deceliam versus undecim ab urbe stadia iacerent, et Lacedaemonii contra Athenienses illum locum obsessum tenerent, Sophocles efferri non potuit. Tum Bacchus per somnium Spartanorum duci visus eum concedere iussit, ut deliciae suae humarentur. Quod primum non satis intelligens imperator et negligens identidem saepius a deo commonitus est. Quo facto quum per transfugas Sophoclem mortuum esse comperisset, praecone misso Atheniensibus inducias obtulit. Tum Sophocles honorifice humatus est. Haec fere scriptor vitae narrat; in quibus difficultates quaedam ortae sunt. Primum quae scriptoris verba sunt, τῶν πατρῴων αὐτοῦ τάφων ἐπὶ Δεκέλειαν κειμένων Meursium [481]) aliosque

---

480) In hac disputatione usui nobis esse omnino non potuit locus Gellii N. A. XVII. 21.: ubi quum aliae difficultates excitentur, tum de Sophoclis et Euripidis obitu ita erratum est, ut duabus fere Olympiadibus postea eum incidisse, quam verum, efficiatur. De quo cf. Osann. anall. crit. p. 49. sq. et quos laudant Stieve. de rei scen. ap. Rom. orig. p. 76. et Duentzer. Liv. Andron. frgm. p. 5. n. 11.

481) Rel. Att. c. 4.

in errorem induxerunt, ut Deceliae Sophoclis maiorum sepulcra fuisse arbitrarentur; Decelia vero ab urbe afuit stadia centum viginti, [482]) sepulcra ista undecim. Deinde ab auctore vitae eius temporis eoque loco dux Lysander fuisse perhibetur, et Plinius [483]) atque Solinus [484]) eandem rem narrantes plane consentiunt. Sophoclis mors autem toto fere anno ante Athenarum obsidionem per Lysandrum incidit: quapropter manifestum est, alium quendam ducem fuisse, Lysandrum vero nominatum esse, quum huius fama latissime manavisset. Quod ut credas eo magis propensus eris, si Pausaniam, [485]) satis accuratum scriptorem, quasi de industria nomen imperatoris omisisse videris, quamvis rem explicate narrantem Λακεδαιμονίων τὸν ἡγούμενον ἰδεῖν κ. λ.: ita ut temporum discrepantiam vidisse credendus sit, quamvis, ut solet interdum, ceterorum opiniones tacendo tantum refellens.

In ipsam vero rem aliquanto accuratius inquirentibus quid de tota narratione statuendum videbitur? Lysandrumne vel Agin, vel quemcunque alium Spartanorum ducem tanta' Sophoclis veneratione tantoque amore impletum fuisse, ut acerbissima belli tempestate in ipsius gratiam hostibus inducias concessisset? Sed eum non sponte illud fecisse dixerit quispiam, verum saepius a Baccho per

482) cf. Thucyd. VII. 19.
483) N. H. VII. 30.
484) Polyhist. c. 7.
485) libr. I. 21. exord.

somnia commonitum. Qui, vereor, ne imperatori admodum invisus fuisset. Etenim eodem ipso tempore Lacedaemonii ab Atheniensibus ad Arginussas insulas devicti sunt: qua clade auctore Aristotele[486]) ita afficiebantur, ut ex Decelia recedere et pacem componere vellent, Callia archonte. Ipsum vero pugnae tempus etiam accuratius constitui potest, et vere demonstravit Clintonus,[487]) eam circa initium Pyanepsionis commissam esse. Itaque quum Sophoclis mors duobus fere mensibus postea incideret, tempora accuratissime concinnant et dubitari nequit, quin idem fuerit tempus, quo post pugnam consilia de pace componenda conferebantur, et quo Spartani Atheniensibus inducias illas ad sepeliendum Sophoclem commiserunt. Quapropter fabellam istam de Baccho, quippe inventam haud dubie, à duce Spartanorum, nuntio de clade suorum ad se delato, excogitatam et Atheniensibus propositam esse censeo, quo eos ad pacem ineundam propensiores redderet. Ita factum est, ut Sophocles a civibus suis per quietem et honorifice humari posset.

Tam singulari modo sepultum quem in vita admodum dilexissent, Athenienses etiam mortuum magnis honoribus affecerunt. Itaque in ipsius tumulo aëneam Sirenem constituerunt, secundum quosdam vero hirundinem:[488]) utramque dulcis cantus imaginem. Spartanorum dux quum, ut ait Pausa-

486) secund. schol. Arist. Rann. extr.
487) Fastt. Hell. p. 271. k.
488) Auct. vit.

nias l. l., Sirenem novam in honore habere a Baccho iussus esset, hoc ad Sophoclem eiusque poësin pertinere vidit; namque etiamnum, scriptor dicit, quod in orationibus et poëmatis persuadendi vim habet, cum Sirene comparant. Hirundo autem eodem modo atque luscinia, sicuti etiam Philomela et Progna, quae et sorores sunt et saepissime inter se commistae, pro patrona cantus habebatur. Deinde Athenienses Sophocli adeo favebant, ut etiam sacrum ei aedificandum et sacrificia quotannis facienda publice decernerent.[489] Ἡρῷον istud, fortasse vivo etiam poëta institutum, propter Aesculapii hospitium apud illum, Δεξίων nominatum est.[490] Ita quum cives divino honore eum prosequerentur, etiam filius Iophon patri statuam ponendam curavit.[491] Quem quum Valerius Maximus[492] Sophoclis laudes etiam in eius sepulcro inscripsisse dicat, eodem loco Deceliam versus undecim ab urbe stadia ab Iophonte statua illa posita et fanum publice constitutum fuerit. Quadraginta fere post annis Lycurgus orator[493] legem tulit, ut ne histrionibus in posterum liceret, ex trium principum tragicorum fabulis quidquam pro arbitrio mutare: qua sancita Aeschylo, Sophocli atque Euripidi statuae aëneae publice decretae sunt.

---

489) Istro auctore script. vit.

490) Etym. Magn. p. 256. 6. v. Δεξίων.

491) auct. vit.

492) libr. VIII. 7. 12.

493) Plut. Vit. dec. oratt. p. 841. f. cf. Paus. I. 21., Harpocr. v. θεωρικόν; alii.

XV.
VETERUM DE SOPHOCLE IUDICIA; EPIGRAMMATA.

Quibus expositis haud incommodum erit, quasi historiam quandam Sophocleae apud antiquos gloriae communicare. Iam primis temporibus ipsoque etiam poëta vivente de tragicorum virtutibus et praestantia, qualis cuiusque esset, certae opiniones ortae sunt, eaeque non solum a poëtis comicis, sed etiam ab aliis scriptoribus prolatae. Poëtis comicis in his rebus diiudicandis non multum tribuendum esse qui contenderunt, parum recte fecerunt. Nam plurimos eorum summa intelligentia praeditos et quid in fabulis pulcrum ac venustum esset, quid minus, cognoscendi praecipua facultate insignes fuisse inter omnes constat. Quodsi vera intellexerunt, quid quaeso, causae esse potuit, qua abrepti quae intelligerent non dixissent? Cum Wielandio enim iniquissime Aristophanem vituperante [494]) post splendidissimum Iacobsium [495]) aliosque multos nemo iam consentiet. Itaque minime dubium est, quin ex comicorum scriptis publici oris sententia de tragicorum praestantia optime perspici possit: praesertim quum plane nulla causa a publico iudicio recedendi praesente ad id retinendum gravissimum hoc esset incitamentum, quod suas quoque fabulas iisdem arbitris ad ferenda iudicia proponendas esse

494) Mus. Att. P. II. p. XII. III. p. 81.
495) Scriptt. misc. III. p. 325.

scirent: in quo certamine qui a publica de tragicis sententia recedens contrariam protulisset, ei exigua futurae victoriae spes relicta fuisset. Ex his igitur poëtis quotquot tragicorum aequales fuerunt, ad unum omnes in eo consentiunt, Sophoclem eorum praestantissimum esse; secundas partes Aeschylo tribuunt, et deinde Euripidi. Quem qui prae ceteris laude affecisset, inter poëtas antiquae comoediae vix ullus inveniri poterit. Ex recentioribus Menander eum imitatus esse et saepe totus ab eo pependisse perhibetur: [496]) ita ut hunc se maximi facere saepe professus sit. Aequales vero Euripidem saepenumero perstrinxerunt et tam longe Sophocli posthabuerunt, ut ex ipsorum scriptis utriusque comparatio instituenda non videatur. Aeschylus autem, quemadmodum quercus antiqua licet minus pulcra ac firma, quam quae validiori aetate est, hominum animos religione quadam devincit; sic suorum admirationem magis sibi comparavit, quam ab ulla vituperatione remotus esse visus est. Neque tamen comici prorsus ab eo abstinuerunt, sed in ipsa laude exaggeranda ad id usque fastigium rem produxerunt, ubi non iam vitium deest. [497]) Sophoclis denique quotiescunque mentionem faciunt, non solum religiosa quadam admiratione impletos se esse declarant, sed ut accuratissimi eius fabularum perscrutatores singula quae-

---

496) Quint. Instit. or. X. 1. 68. cf. Meineke Vita Men. ante frgm. p. XXXIII. sq. ibq. not.

497) cf. Arist. Rann. 1259. alibi.

que ingenue et significanter extollunt et summis laudibus ornare vix desinunt. Locos commemorare longum est; neque necessarium: in quemcunque enim offenderis, quanta virorum de Sophocle admiratio fuerit insigne tibi testimonium erit.

Quae sicuti comicorum sententia fuit, sic pro publica habere non dubitamus. Quod nos recte facere, etiam ipsa res ostendit. Namque in numero tragoediarum haud ita dispari Sophocli vicies ab Atheniensibus primam palmam datam esse scimus, Aeschylo tredecies, Euripidi quinquies: ex qua comparatione quanto magis Sophocles civibus suis probatus fuerit apparet, praesertim quum ipse fere cum optimis, illi etiam cum deterioribus quibusdam tragicis certaverint; infra secundum autem noster nunquam habitus est. Disertius res eo firmatur, quod Aristophanis Ranae, qua fabula illam suam sententiam liberrime protulit, adeo Atheniensibus probatae sunt, ut hanc ob caussam non solum praemio ornarentur, sed etiam auctore Dicaearcho [498]) iterum docendae expeterentur; Phrynichi Musae vero, quam et ipsam in praedicanda Sophoclis laude versatam fuisse fragmenta ostendunt, secundo loco renunciatae sunt.

Haec vero disputantes nimium recedimus a sententia Grysarii, quam ut silentio eam praeteriri liceat. Is [499]) laudabili quidem studio Euripidem a recentiorum vituperationibus defendens eo abripi se

---

498) cf. argum. Rann. Quid acciderit Welckero trilog. p. 527 nescio.

499) de Graec. trag. circa temp. Demosth. p. 14. sqq.

passus est, ut etiam ab Atheniensibus illum pro tragicorum praestantissimo habitum esse conatus sit demonstrare. Quod ut efficeret, et alia multa protulit et imprimis hoc: »Euripide in Macedonia absente, id quod fieri plerumque solitum, fabularum eius spectandarum studium tantopere in omnium animis esse adauctum, ut iam plerique Euripidem [500]) Sophocli atque Aeschylo anteponere non dubitavissent:« quod paradoxon ab ipso Aristophane se doctum esse dicit. At vereor, ne vir praestans in hac re nimis docilem se praebuerit. Quamquam enim comicus Atheniensium in sentiendo perversitatem Ranis castigat, praecipue quod Euripidem permagni facerent, idcirco tamen nemo communi eorum iudicio Sophoclem atque Aeschylum huic postpositos esse statuet; sicuti etiam nostris diebus haud facile cuiquam in mentem veniet, Goethio vel Schillero anteponere Muellnerum vel alios, eodem fere modo, quo Euripides ab Aristophane, illos a comite Augusto Platen ab Hallermuende castigatos; quorum etiam dramata a nobis maximi aestimari et in scenis spectari dicit, a quibus quae Schilleri aut Goethii essent coërcerentur. At vero sapientissimum quemque Atheniensium prorsus cum Aristophane fecisse, argumentum fabulae manifesto demonstrat. Denique quod Grysarius dicit, initium Ranarum in eo versari, ut Dionysus, qui morte Euripidis sacris

---

500) Quem scilicet Athenienses invisum habuisse diserte dicit scriptor vitae Eurip. ex cod. Havn. ap. Both. Eurip. I. p. 10. ὑπὸ γὰρ Ἀθηναίων ἐφθονεῖτο (ὑπὸ ξένων ἐφιλεῖτο.)

suis detrimentum maximum illatum esse sensisset, ad inferos descenderet, unde reduceret ad vivos poetam dilectissimum; hoc in suum usum convertere minime debuit, quum toto illo loco nullam Euripidis laudem, sed acerbam potius ironiam contineri appareat. Ac de certamine Euripidis atque Aeschyli quae tandem ad illius laudem transferre voluerit, plane non assequor: namque si multi cum Euripide facere videntur, ad eos pertinere apertum est, quod Aeacus dicit:

ὀλίγον τὸ χρηστόν ἐστιν, ὥσπερ ἐνθάδε.

Deinde fabellam istam, Euripidem in Palamede Atheniensibus caedem Socratis exprobrasse, [501]) καὶ νοῆσαν τὸ θέατρον ἅπαν δακρῦσαι, διότι περὶ Σωκράτους ᾐνίττετο, aut a posterioribus miserrime excogitatam, aut, quod verisimilius videtur, suppositis ab interpolatore versibus, quum fabula iterum doceretur, comprehensam esse, luce clarius est; [502]) ipsum enim Euripidem omnes sciunt septem fere annis ante Socratem obisse et Palamedem adeo quatuordecim ante eiusdem mortem doctam esse. [503]) Quamobrem recte fecit Boeckhius l. l. non accedens Valckenarii [504]) sententiae, qui Socratem amicum simili modo ac Palamedem morti datum iri, Euripidi qua fuisset perspicacitate forsitan praevisum fuisse arbitra-

501) cf. Diog. Laert. II. 44. arg. Busiridis Encomii Isocratei.

502) cf. Boeckh. de trg. Gr. p. 185.

503) cf. Aelian. var. histt. II. 8.

504) Diatr. Eurip. p. 191. b.

tur. Denique liceat sit monere, quod tradunt [505]) Philemonem comicum adeo Euripidis admiratione captum fuisse, ut alicubi dicentem quendam fecisset, se illico manus sibi illaturum, ut Euripidem apud inferos adspiceret, si vivere istos et sentire persuasum haberet: hoc fere non dubito, quin iocculariter et ridendi causa dictum sit, quamquam comicus eum dilexisse etiam alias traditur. [506]) Ac iam cetera morari nolumus: dignus sua laude Euripides: quae et ab antiquis praecipua ei tributa est et a recentioribus tribuenda: »prima enim sequentem honestum est, in secundis tertiisve consistere:« quapropter qui ex veteribus eum vituperaverint explorare nostrum non esse putamus. [507])

Sed ut tandem ad nostram rem revertamur, Sophoclem non solum a poëtis comicis, sed etiam in vita communi illa aetate pro tragicorum principe habitum esse, declarat locus Xenophontis, [508]) apud quem Aristodemus Parvus a Socrate interrogatus, quosnam homines propter sapientiam imprimis admiraretur, »sicut in epica poësi Homerum, inquit, sic in dithyrambica Melanippidem, in tragica Sophoclem.« Hoc eo magis nos commovere debet, ut

---

505) cf. Meinek. Men. et Philem. reliqq. p. 410. et quos laudat. Versus sunt:

εἰ ταῖς ἀληθείαισιν οἱ τεθνηκότες
αἴσθησιν εἶχον, ἄνδρες ὥς φασίν τινες,
ἀπηγξάμην ἄν, ὥστ' ἰδεῖν Εὐριπίδην.

506) cf. Vit. Eurip. ap. Both. I. 1.

507) cf. Meinek. quaest. scen. III. p. 116. 119. Gell. N. A. VII. 3. alios.

508) Memor. I. 4. 3.

publico iudicio Sophoclis maiorem fuisse gloriam statuamus, quum Aristodemus ad eorum fere numerum pertinuisse videatur, qui Euripidem magis, quam Sophoclem admirati sunt.

Socratis igitur atque Euripidis ea amicitia erat, ut adeo alter alterius praeceptor fuisse aut uterque eodem praeceptore Anaxagora usus esse perhibeatur;[509]) et Athenis hanc ob causam vulgata illa opinio orta est, alterum adiuvisse poëtam in scribendis fabulis.[510]) Atque Euripidis tragoedias prae ceteris tanto in honore habuit, ut, quamvis rarissime spectatum iret, illo novis fabulis certante domi se non teneret. Immo in Piraeo, ubi veteres fere fabulae, vel quarum docendarum in urbe copia facta non esset, doceri solitae sunt,[511]) si quae ab Euripide scriptae edebantur, etiam illuc spectatum ibat.[512]) Cuius rei si causam quaerimus, ea apud Platonem[513]) diserte indicata esse videtur: ἥ τε τραγῳδία ὅλως σοφὸν δοκεῖ εἶναι καὶ ὁ Εὐριπίδης διαφέρων ἐν αὐτῇ; quam causam fuisse etiam Aelianus prodidit. Hinc fluxisse arbitror, quodcunque praecipuae laudis a veteribus Euripidi tributum est; ad sapientiam enim omnes fere recurrunt. Quam quum in Euripide omnibus prae-

509) cf. Dionys. Hal. II. p. 47. 57. Suid. v. Εὐριπ.; Vit. Eurip.; Diog. Laert. II. 45.

510) cf. Diog. II. 18. cf. Athen. IV. p. 134. c. Dindorf. de Aristoph. frgm. p. 21.

511) cf. Boeckh. add. ad comm. de Antig. p. 236.

512) cf. Aelian. var. histt. II. 13.

513) de rep. VIII. p. 568.

stare Plato censeret, factum est, ut Sophoclis versum illum

σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ

ad Euripidem referret. Idem tamen alias utrumque poëtam eodem modo laudavit; [514]) Sophoclem vero num alicubi notaverit, equidem haud scio. Non enim, quantum ego video, huc pertinet locus a Boeckhio [515]) citatus; ubi Aeschyli quidem sententia leniter vituperata est, quam ad huius Nioben pertinere probabiliter statuit Stallbaumius ad h. l. De Sophocle non cogitandum videtur. [516]) Neque etiam verum est, quod Athenaeus [517]) dicit, Platonem in Critone ad Sophoclem invehi: totaque illa, de qua loquitur, simultas inter hunc atque Platonem pro commento habenda est, fortasse inde orto, quod Euripidi cum Platone amicitiam intercessisse putarent, cum Sophocle dissidium fuisse scirent: quamquam ipsum Euripidem aliquando a Platone notatum esse pro certo statuit Stallbaumius. [518]) Ac simultatem illam, quam etiam Valckenarius a vero haud alienam videri dixerat, iam pridem Boeckhius [519]) recte monuit quodammodo refelli loco de rep. I. p. 329. b. Omnino quae de utroque poëta apud Platonem scripta ad Socratem pertinuisse videntur, ea scriptores parum accurati ad ipsum Pla-

514) Phaedr. p. 268. c.
515) de rep. II. 380. a. cf. Boeckh. de trg. Gr. p. 123.
516) Versum illum ad Menandrum rettulit Meinek. p. 304.
527) libr. XI. p. 507. d.
518) ad Plat. de rep. VIII. p. 568. e.
519) ad Plat. legg. p. 182.

tonem rettulerunt. Hic enim neque cum Sophocle neque cum Euripide ullam consuetudinem habuisse putandus est, utpote qui vix adolescentulus viginti trium annorum esset, quum uterque poëta summa senectute mortem occumberet.

Plutarchus [520]) quod in cuiusque tragicorum scriptis maxime praecelleret paucis verbis comprehendens Euripidis σοφίαν dicit, Sophoclis λογιότητα, Aeschyli στόμα τι. Ex quibus quum Euripidem Sophocle sapientiorem a multis iudicatum esse appareat, exstat etiam antiquum oraculi Delphici responsum memoria dignum et a multis saepe commemoratum. [521])

Σοφὸς Σοφοκλῆς, σοφώτερος δ'Εὐριπίδης,
ἀνδρῶν δὲ πάντων Σωκράτης σοφώτατος:

quod quamquam Delphis oriundum esse nemo temere credet, tamen qualis fere hominum sententia fuerit ostendit. Euripidis sapientiam Quintilianus quoque spectavit, illum ad oratoriam institutionem longe utilissimum esse dicens, quia magis, quam Sophocles, ad oratorium dicendi genus accederet et sententiis densus, et in iis, quae a sapientibus tradita essent, paene ipsis par, et dicendo atque respondendo cuilibet eorum, qui fuissent in foro di-

---

520) de glor. Athen. t. VII. p. 373. Reisk.

521) Suid. v. σοφός. schol. ad Arist. Nub. 144. Praeterea cf. Plat. apol. p. 21. a. Diog. II. 37. Lucian. amor. II. p. 418. ed. Tauchn. Justin. Mart. cohort. ad Graec. p. 32. Cic. ac. quaestt. I. 4. id. Lael. c. 4. Plin. N. H. VII. 31. 34. Val. Max. III. 4. VII. 2. Pseudo-Xenoph. apol. Socrat. 14.: quamquam plerisque locis ea tantum commemorantur, quae de Socrate dicta sunt.

serti, comparandus esset; in affectibus vero quum omnibus mirus, tum in iis qui in miseratione constarent, facile praecipuus.» [522])

Hi igitur fere fuerunt, qui post Socratem Euripidem Sophocle praestantiorem esse statuerunt, ad unum omnes non tragicae artis dignitatem, [523]), sed sapientiam et philosophicarum sententiarum abundantiam spectantes. Sed contraria ratio, quam ipsa tragicorum aetate maxime viguisse demonstravimus, etiam totam antiquitatem quasi penetrare videtur. Haud ita multo post eam aetatem Aristoteles, elegantissimus poetarum iudex, etiam de tragicis quid sentiret obiter proposuit. Is in libro de arte poetica quum ex aliorum tragoediis, tum vel maxime ex Sophocleis, multos locos exempli instar laudavit. Ipsum quotiescunque commemorat, semper magna laude afficit, vituperatione nusquam. Euripidem vero et minus saepe ad partes trahit, et haud raro reprehendit. Multos ex ipsius aequalibus idem fecisse et adeo nimis in Euripidem invectos esse ex eo loco [524]) intelligitur, ubi τοὺς Εὐριπίδῃ ἐγκαλοῦντας quod fabularum infelices fere exitus faceret, non recte iudicare dicit. Hoc enim aequum, et Euripidem manifesto poetarum τραγικώτατον esse, etiamsi cetera non bene administraret (εἰ καὶ τὰ ἄλλα μὴ εὖ οἰκονομεῖ.) Haec non levis est reprehensio, laus

522) Institut. orat. X. 1. 68.

523) Socrates enim, et postea quoque Plato, quum universae poësi, tum imprimis tragicae arti parum faverunt. cf. Gorg. p. 502. b.

524) c. XIII. p. 19. ed. Graefh.

exigua. Namque τραγικώτατον εἶναι sive, ut Quintilianus dicit, in affectibus mirum et imprimis in iis, qui in miseratione constant, praecipuum esse; hoc eodem Aristotele iudice haud ita difficile est; verum oeconomia, quam vocat, tragica longe gravissima.[525]) Utrum vero poetam pluris fecerit, duobus locis praecipue ostendit. Priori,[526]) chorus qualis esse debeat constituens haec dicit: καὶ τὸν χορὸν δὲ ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὅλου καὶ συναγωνίζεσθαι, μὴ ὥσπερ Εὐριπίδῃ, ἀλλ' ὥσπερ Σοφοκλεῖ. Itaque Euripidis rationem in choro constituendo non rectam, Sophoclis rectam esse censet, atque hoc iudicio quum chori in tragoedia Graeca gravissimum momentum esset, utrum poetam praestantiorem esse indicet abunde declarat. Alter locus is est, qui nobilissimum illud Sophoclis dictum de poesi sua atque Euripidea continet.[527]) Dicit philosophus, in tragoedia non viles quasque vitae condiciones proponi debere neque homines quales essent repraesentari, sed aliquanto praestantiores; ut recte indicavisset Sophocles, se homines repraesentare, quales necesse esset, Euripidem quales essent; namque βελτίους μιμεῖται ἡ τραγῳδία. Quapropter idem etiam alias[528]) Euripidem satis vehementer vitu-

---

525) c. VI. p. 10. μέγιστον ἡ τῶν πραγμάτων σύστασις sqq. p. 11. οἱ ἐγχειροῦντες ποιεῖν πρότερον δύνανται τῇ λέξει καὶ τοῖς ἤθεσιν ἀκριβοῦν, ἢ τὰ πράγματα συνίστασθαι.

526) c. XVIII. extr. p. 27. cf. schol. ad Aristoph. Acharn. 442. Valcken. ad Eurip. Phoen. 1026.

527) c. XXV. p. 40.

528) de poët. XXV. p. 42. cf. XV. p. 22.

perat, recto in vitiis poni dicens ἀλογίαν et μοχθηρίαν si quis sine necessitate τῷ ἀλόγῳ uteretur, sicut Euripides in Aegeo; vel nequitia, ut in Oresta Menelai.

Rarius Aristoteles ad res suas comprobandas Aeschyli tragoediis usus est, ac non nisi uno loco eum diserte cum ceteris comparavit, dicens,[529]) neque sicut Euripides, neque sicut Aeschylus fecisset, rem esse instituendam: qua re praesertim quum in Sophocle quae recta sint ostendat, in Euripide fere, quae vitiosa, satis declarat, Aeschylum a se utriusque intermedium esse habitum. Etiam aliis locis[530]) Sophoclem omnium principem videtur facere, veluti quo ipsum cum Homero et Aristophane, utroque in suo poesis genere praecipuo, contulit.

Aristotelis fere aequales Menedemus et Polemo philosophi fuerunt. Alterum Diogenes Laertius[531]) tradit plurimi omnium Homerum fecisse, deinde melicos poetas, tum Sophoclem. Polemo autem apud eundem Diogenem[532]) imprimis φιλοσοφόκλης fuisse perhibetur, atque maxime in illis locis, ubi secundum comicum canis quidam Molossicus in componendis carminibus eum adiuvisse videretur, et secundum Phrynichum neque mustum esset, neque vinum mistum, sed Pramnium:

οὐ γλύξις, οὐδ' ὑπόχυτος, ἀλλὰ Πράμνιος.[533])

---

529) ibid. XVIII. p. 27.
530) ibid. III. exord. p. 5. cf. Rhet. III. 14.
531) libr. II. 133.
532) libr. IV. 20. (Huebn. c. 3. t. I. p. 274)
533) cf. Meinek. quaestt. scen. II. p. 10.

Dicebat igitur, Homerum epicum esse Sophoclem, Sophoclem vero Homerum tragicum.[534]) Molossicus canis pastoralis est, magnitudine et generositate excellens; cui qui se suaque tradidisset, a periculo tutus esse putabatur.[535]) Mustum autem et vinum mistum nimis dulcia sunt, quam quae diu placere possint; Pramnium vero, nobilissimum vini genus, forte et austerum fuit, quo Nestor ad reficiendas vires pugnando labefactatas,[536]) Circe adeo ut Ulixis socios mente et recordatione prorsus caperet[537]) usa esse traditur. Deinde nomen in proverbium abiit ad significandum unumquodque vinum generosum.[538]) Ipsum vero Phrynichi versum illum ex Musis depromptum esse, qua fabula de tragicorum poetarum virtutibus esse diseptatum videtur, Musis litem dirimentibus, probabilis Meinekii coniectura est.[539]) Maxima vero Sophoclis laus eo continetur, quod Polemo cum Homeri adeo similem esse iudicavit, ut non nisi poesis genere differrent. Ad quam similitudinem etiam alia quaedam pertinere videntur. Auctor vitae eum mores describere ac varie distinguere dicit, et consiliis artificiose uti, ex-

---

534) Nescio, quo factum sit, ut in editionibus, etiam apud Huebnerum nomina perverse posita legantur. Recte eadem habet Suid v. Πολέμων.

535) Suid. v. κύων Μολοττικός· κύων μέγας καὶ ποιμενικός. all.

536) Hom. Il. λ. 639.

537) Odyss. κ. 235.

238) cf. Schweigh. anim. ad Athen. I. p. 225. imprimisque Heyne ad Il. I. 1.

539) Quaestt. scen. II. p. 10.

primentem Homericam gratiam: quamobrem etiam Ionicus quidam solum Sophoclem Homeri discipulum dixisse traditus esset. Omnia eum Homerica ratione designare et in mythis tractandis poetae vestigia sequi: Odysseam autem multis dramatis quasi depinxisse. Ac nobis etiam fragmenta et tituli multarum fabularum conservati sunt, quarum mythi imprimis in Odyssea narrantur. Sed quum Athenaeus [540]) Sophoclem in universum epico cyclo egregie delectatum fuisse prodat, ita ut integras fabulas mythorum in eo compositionem sequens fecisset: satis probabilis est Wuellneri [541]) sententia, qui Homerum quoque et Homeridas epico cyclo comprehensos esse statuens etiam quae scriptor vitae tradidit, magis universe cum Athenaeo ad cyclum referenda esse arbitratur. Sophocles autem propter insigne Homeri studium [542]) et similitudinem in describendis moribus et in forma dictionis a veteribus imprimis φιλόμηρος nominatus est. [543]) Ipsius vero Homericam imitationem singularem esse, [544]) scriptor vitae pergit: »namque etiam alios multos ex prioribus quosdam aut aequalibus imitatos esse, solum vero Sophoclem ab unoquoque splendidissimum

540) libr. VII. p. 277.

541) de cycl. epic. p. 36. 44.

542) Ὁμηρικὸς ζῆλος cf. Eustath. ad Il. ϑ. p. 694. 22.; λ. p. 851. 57. Ὁμηρικὸς ζηλωτὴς (sc. Σοφ.) ad Il. ε. p. 514.; π. p. 1083.

543) cf. Eustath. ad Il. β. p. 197.; ι. p. 756. 17.; λ. p. 851. 57. p. 890. 19.; σ. p. 1133. 48. ζ. p. 645. v. 333. μ. p. 902. 2. v. 237. alibi.

quodque decerpere; quapropter etiam apis nominatus esset. Coniunctam autem et mistam eum exhibuisse temporis, dulcedinis, audaciae, varietatis veram rationem. Rerum vero occasionibus accommodandarum tantam intelligentiam habebat, ut parvo ἡμιστιχίῳ vel una sententia universos hominis mores proponere posset.» Apis cognomen verisimilius est ex iis ortum esse, quae paulo post de Aristophane traduntur: «Aristophanes dicit, ceram (κηρόν) in eius labiis insidere; ut vero alii, Σοφοκλέους τοῦ μέλιτι τὸ στόμα κεχρισμένου.« Pertinet hoc ad Aristophanem comicum, cuius versiculi, unde grammatici illud sumtum est, a Dione Prusiensi [543]) servati sunt:

ὁ δ' αὖ Σοφοκλέους τοῦ μέλιτι κεχρισμένου,
ὥσπερ καδίσκου περιέλειχε τὸ στόμα·

Quos versus ad Aristophanis Gerytadem, quae fabula sicut Ranae, in describendis et deridendis aequalibus poëtis versata esset, pertinere coniecit Dindorfius. [544]) Illa vero de Sophoclis dulcedine fama adeo pervulgata fuit, ut quemadmodum apes ipsae in universum cum poetis comparari solitae sunt, [545]) sic Sophocles prae ceteris earum simillimus apis Atticae nomine significaretur. Huc spectant versus ex elegia Hermesianactis: [546])

544) De Sophoclis Homerica imitatione H. Stephanum scripsisse legi quidem, sed libellum accipere non potui.

543) Orat. LII. p. 553. cf. Welck. ad Philostr. Imagg. p. 657.

544) de Aristoph. frgm. p. 117.

545) cf. Muret. Var. lectt. VIII. 1.; Nitsch. ad Plat. Ion. p. 33.

546) cf. Athen. XIII. p. 598. e.

Ἀτθὶς δ' οἷα μέλισσα πολυκρήωνα κολωνὴν
λείπουσ' ἐν τραγικαῖς ἧδε χοροστασίαις.

Etiam alii multi [547]) eum propter dulcedinem imprimis a poetis comicis apem nominatum esse diserte tradunt. Aelius Aristides [548]) dulcissimum eum dicit, ipsàque labia amoenissime susurrare. Philostratus iunior, [549]) postquam μελιχρότατον appellavit, tam suàviter poetae imaginem describit, ut mel ac dulcedinem totam eius poesin adeo penetrare censeat, ac si ipsa Melpomene comiter arridens donum ei tribuisset. Illud igitur quum antiquitus traditum esset, postea fere moris fuit, ut Sophoclem τὸν γλυκύν, Aeschylum τὸν μεγαλοφωνότατον, Euripidem τὸν πάνσοφον nominarent. [550])

Dulcedinem illam in sermonis elegantia et concinnitate potissimum constare iam a veteribus diserte monitum est. Eadem fere est λογιότης, optimum eloquentiae genus a Plutarcho Sophocli tributum. Cum his autem non consentire, sed pugnare quodammodo Dionysius Halicarnassensis [551]) videtur: cuius quamquam in universum Sophoclem omnium praestantissimum esse alias [552]) declaravit, hoc de tragicis iudicium est: »Aeschylus primus et magnificentiam exhibuit, et trópica ac pro-

---

547) Suid.; Hesych. Mil.; schol. ad Oed. Col.; ad Aiac. 1188 Lob.; ad Aristoph. Vesp. 448.

548) t. II. p. 220. t. I. p. 596.

549) Imag. XIII.

550) Phot. bibl. p. 101. b. 14. ed. Bekk.

551) tom. II. p. 69. Sylb.

552) t. II. p. 28.

pria oratione imprimis ornatus fuit; saepe autem et ipse novorum statuum et vocabulorum fabricator et auctor, Euripide vero et Sophocle in ducendis personis magis varius. Sophocles autem personarum dignitatem observans in affectibus excellit; Euripides contra non omnia vera et vitae accommodata instituit, quapropter quod decet et dignum est saepe eum fugit, et generales et magnificos hominum mores et affectus, ut Sophocles, ipse non bene constituit; si quid autem indignum et ignavum aut humile est, vehementer eum excellere videmus. Sophocles deinde in sermonibus non supervacaneus est, sed necessarius; Euripides multus in rhetoricis inductionibus; ille inveniens novorum verborum et saepe ex magna gravitate in inanem sonum excidens, ita ut in prosaicam plane exilitatem transeat; Euripides autem neque excelsus est, neque vero exilis, sed suspensa dictionis mediocritate utitur; comicorum quoque facundas virtutes omnes imitatur: sunt enim et sententiis nitidae, et perspicuae, et breves, et magnificae, et sollertes, et morales.« In quibus illud Aeschylo atque Sophocli vitio non vertendum esse, quod nova verba finxerunt, hoc modo recte factum sit; id et ipsi intelligimus, et si quis auctorem desiderat, ab Horatio doceri potest. [553]) Cetera vero de Sophocle et Euripide inter se ipsa satis repugnant. Quemadmodum enim qui in s e r m o n e n o n s u p e r v a c a n e u s e s t, s e d n e c e s s a r i u s, is in inanem sonum inci-

553) de art. poët. 47.

det? Ac neque ex veteribus alius quisquam hoc in Sophocle vituperavit, neque recentiorum ullus temere faciet: quum ad verum confirmandum ipsius tragoediae certissimae atque aeternae testes exsistant. Fortasse autem Dionysii auctoritas effecit, ut quasi per vituperationem nuper a quibusdam [554]) Sophocles si quis alius novator in verbis appellaretur: quod si recte fecerit Brunckius, tamen Hermanno non prorsus assentiendum esse arbitror, qui [555]) Sophoclem quum doctam orationem exhibere voluisset, interdum in molestam quandam implicationem atque intricationem vertere, et iam in illam partem inclinare, quae propior esset vitio statuit. Quod utcunque est; ipse enim hanc rem ad diiudicandum longe difficillimam mihi esse video; illud tamen fere intelligi potest, quae ad probandam sententiam Hermannus hic illic [556]) in annotationibus protulerit, haud ita magni momenti esse; neque obiter et quasi notissima res esset dici debuisse, Sophoclem insolentiora captare. Qui si quid novavit in verbis, quod a nemine negabitur, ita illud instituit, ut plerumque callida illa iunctura efficiatur, quam Horatius commendat; non hercle studio novitatis abreptus quasi de industria effecit, ut molestae sententiae fierent.

Aliud quiddam, quod in sermone non bene fa-

---

554) cf. Brunck. ad Oed. Reg. 1512.
555) Praefat. ad Trach. p. XIII.
556) cf. ann. ad v. 658. 907. 1051. alios.

ctum esset et duritiem quandam contineret, Muretus [557]) significasse videtur, uti Euripideum versum: (Med. 476.)

ἔσωσά σ' ὡς ἴσασιν Ἑλλήνων ὅσοι

sic Sophocleum: (Oed. Reg. 372.)

τυφλὸς τά τ' ὦτα τόν τε νοῦν τά τ' ὄμματ' εἶ

vituperatione dignum esse putans: »ubi quum saepius etiam inculcaverit literam τ, quam ille alter literam σ, tamen Euripides dicacium aculeos expertus est, Sophocles, quod sciam, a nemine notatus.« Verum enim vero notari non debuit; debuit autem praecipua laude affici, quum aptiorem et elegantiorem versum haud facile ullum inveneris. Est enim illa mirifica artis virtus, animi affectus atque commotionem sono et iunctura vocabulorum exprimere: quod quum poëtae saèpissime numero versuum efficere studeant, aliquando tamen et praesertim ubi ira atque indignatio verba suppeditat, eo praeclare assequuntur, quod ad exprimendam sententiam iis deinceps utuntur verbis, quae nisi quadam cum vehementia pronuntiari nequeunt. Imprimis autem homo ira abreptus quasi lingua frangi videtur, atque hoc repetita illa litera τ in Sophoclis Oedipo peregregie expressum: indignabundus enim rex illum versum edicit. Eius rei simile exemplum in Electra est, ubi (v. 204.) exacerbata virgo Iovem orat, ut inimicis suis

557) Var. lectt. I. 13. De Euripidis sigmatismo quid a veteribus et recentioribus dictum sit, praeter Elmsl. ad Eurip. Med. 463. imprimis docet Porsonus ad Med. 476. ed. Lips. III. p. 57. sqq., ubi utilia multa congesta sunt.

κοίνιμα κάθεα καθεῖν κόροι,

etiam hoc egregia laude dignum.

Sed haec a recentioribus prolata iam mittenda erunt, et ad veteres redeundum. His igitur, quorum auctoritas in hac saltem re aliquanto maior est, sermonem Sophocleum non implicatum et intricatum vel molestum esse visum, sed maxime iucundum et dulcem; ex iis, quae supra diximus manifestum est. Illi poëtae in verbis λογιότητι in ipsis rebus adornandis id fere respondet, quod grammatici τὴν οἰκονομίαν τοῦ δράματος appellant: quam quum apud Sophoclem admirabilem esse scholiastae, haud dubie ex antiquioribus libris, saepe [558]) profiteantur, imprimis in Oedipo Coloneo inauditam esse Sallustius Pythagoreus [559]) dicit, ita ut vix quidquam simile sit.

Virum per omnia tempora a Graecis tanto in honore habitum non mirum est, quod Philostratus [560]) θεῖον nominavit, et alii quoque postea omnium longe principem fecerunt. Aelius Aristides, [561]) Sophoclis Oedipum inconsiderato Atheniensium iudicio a Philocle victam esse dicens: »O Iupiter omnesque dii, exclamat, contra quem ne Aeschylus quidem quidquam potuisset proferre! Sed estne idcirco Sophocles Philocle deterior? Pudori iam hoc ei foret, si meliorem se Philocle esse audiret.« Adeo nullam comparationem inter hos intercedere putavit. Dio-

558) cf. ad Oed. Col. v. 236. v. 297. alibi.
559) Cuius esse dicunt argum. alterum Oedipi Col.
560) Imag. Achill. in Scyro p. 873. ed. Olear.
561) Orat. t. II. p. 422.

genes Laertius[562]) sicuti Platonem in philosophia, sic Sophoclem in tragoedia summum assequutum esse dicit. Accuratius Dio Prusiensis,[563]) postquam tragicorum principum Philoctetas inter se comparavit, in universum de iis his fere verbis utitur: »Sophocles utriusque intermedius videtur esse, neque sincerum illud et simplex Aeschyli, neque Euripidis subtile et astutum atque facetum habens, sed gravem quandam et magnificam poësin, rerum maxime tragicarum et facundissime expositarum plenam; ita ut summum gaudium cum magnificentia et gravitate praebeat, in disponendis vero rebus optima ratione utatur.«

Ex Romanis imprimis Cicero Sophoclem prae ceteris tragicis saepissime cum laude commemorat,[564]) doctissimum hominem et poëtam fere divinum eum appellans.[565]) Duobus locis quasi comparationem tragicorum instituit, altero ancipitem victoriam relinquens,[566]) quum Aeschylo, Sophocli, Euripidi par paene laus in dissimili scribendi genere tribuatur, altero[567]) clarissimam illam sententiam exhibens »prima sequentem honestum esse in secundis tertiisve consistere. Nam in poëtis non Homero soli locum esse, aut Archilocho aut Sophocli aut Pindaro, sed horum vel secundis vel etiam

---

562) libr. III. 56.
563) Orat. LII. t. II. p. 272. Reisk.
564) Ep. ad Tiron. XVI. 18. ad Attic. II. 7. de fin. V. 1. 3.
565) de divin. I. 25. extr.
566) de orat. III. 7.
567) Orat. I. 4.

infra secundos.« Itaque quam Homerus ceterique in suo quisque genere praestantissimi sint, sic Sophocles inter poetas tragicos maxime insignis esse visus est. Postea quem ex illis quisque laudavit, eum maxime extulisse videtur: accurate enim de poetis non iam, nisi raro, iudicatum est: atque eiusmodi quaedam antea commemoravimus, cetera omittenda erunt. Quintilianus [568]) licet Euripidem ipse fere pluris fecisse videatur, Aeschylo quidem utrumque praestantiorem esse statuit: ex ipsis vero in dispari dicendi via uter poeta esset melior, sua aetate inter plurimos quaeri dicit; id se, quoniam ad rem suam non pertineret, iniudicatum relinquere.

Ex poetis Horatius [569]) Sophoclem cum Thespide et Aeschylo commemorat, non nominato Euripide. Atque in universum valde raro apud poetas Latinos tragicorum Graecorum mentio iniicitur. Sophoclis autem gravitatem Virgilius [570]) his versibus videtur praedicare:

En erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem
Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno —

et simili fere modo Iuvenalis: [571])

Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu.

Graecorum poetarum in Sophoclem haec exstant epigrammata, quae cum versione Latina, quamvis parum polita, perscribere licebit:

---

568) Inst. orat. X. 1. 67.

569) Epist. II. 1. 163. Thespis et Aeschylus etiam de art. poët. 279. commemorantur.

570) Eclog. VIII. 9.

571) Satir. VI. 636.

Simonidis Cei, minoris.

Ἐσβέσθης, γηραιὲ Σοφόκλεες, ἄνθος ἀοιδῶν,
οἰνωπὸν Βάκχου βότρυν ἐρεπτόμενος.

Mortuus es, vatum princeps, antique Sophocles,
Nigrantem Bacchi concipiens acinum.

Complures eius nominis poetae in Graecia fuerunt: ex quibus quis illud epigramma fecerit vix videtur effici posse. Suidas s. v. complurium nomina recenset: de quibus etiam alii [572]) disputaverunt. De celeberrimo illo, cuius praedicata Cea nenia est, propter tempora non cogitandum esse apparet. [573])

Simmiae Thebani.

Ἠρέμ' ὑπὲρ τύμβοιο Σοφοκλέος, ἠρέμα κισσέ,
ἑρπύζοις, χλοεροὺς ἐκπροχέων πλοκάμους·
καὶ πεταλὸν πάντη θάλλοι ῥόδον, ἥ τε φιλόρρωξ
ἄμπελος, ὑγρὰ πέριξ κλήματα χευαμένη,
εἵνεκεν εὐεπίης πινυτόφρονος, ἣν ὁ μελιχρὸς
ἤσκησεν Μουσῶν ἄμμιγα καὶ Χαρίτων.

Lenta super Sophoclis tumulum, lentissima serpas,
Profundens virides caesaries hedera.
Atque rosae vigeant patulae usque uvisque repleta
Vitis circumquaque humida serta ferens;
Sermones propter sapientes, quos meditatus
Mellitus Musis ac Gratiis socius.

Auctor huius epigrammatis, Simmias Thebanus, Sophoclis fere aequalis fuit, Socratis amicus, quem

---

572) Bentl. dissert. Phalar. Leo Allatius de Simeon. script. diatr. p. 206. sqq.

573) Epigramma legitur Anthol. Palat. I. p. 147. CXI. alibi.

scimus etiam viginti tres dialogos philosophicos scripsisse. Vir a Platone et aliis multis saepe commemoratur;[574]) epigramma autem legitur Anthol. I. 168. II.

Eiusdem.

Τόν σε χοροῖς μέλψαντα Σοφοκλέα, παῖδα Σοφίλλου,
τὸν τραγικῆς Μούσης ἀστέρα Κεκρόπιον,
πολλάκις ἐν θυμέλῃσι καὶ ἐν σκηνῇσι τεθηλὼς
βλαστὸς Ἀχαρνίτης κισσὸς ἔρεψε κόμην,
τύμβος ἔχει καὶ γῆς ὀλίγον μέρος· ἀλλ' ὁ περισσὸς
αἰὼν ἀθανάτοις δέρκεται ἐν σελίσιν.

Laetum carmine te Sophoclem, genitore Sophillo,
Quem, stellam Musae Cecropiam tragicae,
Saepe hederae in scenis texerunt germina et aris
Splendida Acharnanae caesariem viridis;
Parva tenet tumuli ac terrae pars, tempora vero
Cernent in foliis cetera perpetuis.

Legitur in Anthol. Pal. l. l.

Dioscoridis.

α. Τύμβος ὅδ' ἔστ', ὤνθρωπε, Σοφοκλέος, ὃν παρὰ Μουσῶν
ἱρὴν παρθεσίην ἱερὸς ὢν ἔλαχον·
ὅς με τὸν ἐκ Φλιοῦντος, ἔτι τρίβολον πατέοντα,
πρίνινον, ἐς χρούσεον σχῆμα μεθηρμόσατο,
καὶ λεπτὴν ἐνέδυσεν ἀλουργίδα· τοῦ δὲ θανόντος
εὔθετον ὀρχηστὴν τῇδ' ἀνέπαυσα πόδα.
β. Ὄλβιος, ὡς ἀγαθὴν ἔλαχες στάσιν· ἡ δ' ἐνὶ χερσὶ
κούριμος, ἐκ ποίης ἥδε διδασκαλίης;
α. Εἴτε σοι Ἀντιγόνην εἰπεῖν φίλον, οὐκ ἂν ἁμάρτοις,
εἴτε καὶ Ἠλέκτραν· ἀμφότεραι γὰρ ἄκρον.

---

574) cf. Suid. s. v. Diog. Laert. II. 124. alios multos.

α. Hoc Sophocles situs est sub marmore, quem mihi sanctum
Sancto, vir, Musae depositum dederunt.
Qui campos Phliunte satum duros quatientem,
Ilignum, aurigeram transtulit in speciem,
Induit et pulcro me purpure: quo viduatus
Hic saltu facilem pono quiete pedem.
β. Felix, tam bona cui statio data; dramate vero
Ex quonam in manibus virginis haec facies?
α. Tu sive Antigonam vocitabis, vera fateris,
Electramve: manent utraque praecipuum.

Ad quod epigramma explicandum Salmasius[575]) tumulo Sophoclis cogitandum esse impositam fuisse Bacchi statuam coniecit, quae manibus κούριμον sive virginis personam sustineret. Conversum hunc ad viatorem priores sex versus dicere, eum duobus versibus respondere, et reliquos eiusdem Bacchi esse. Sic omnia satis bene explicantur, ac melius certe, quam si quis, quae olim Iacobsii[576]) sententia fuit, pro Baccho histrionem intelligendum esse statuat: quamquam re vera neque Bacchi neque histrionis statuam tumulo Sophoclis impositam fuisse certo scimus: sed est hoc poetae inventum.

Epigramma legitur Anthol. Pal. I. p. 500. XXVIII.

---

575) Scriptt. Hist. Aug. t. II. p. 834.

576) ad Anthol. l. l. Sed et ἱερὸς et ὁ ἐκ Φλιοῦντος diserte Bacchum ostendunt, cuius etiam praecipuum vestimentum ipsa ἁλουργίς est, sec. eundem Iacobs. ad Philostr. Imagg. I. 15. p. 299. Ac iam praestantissimus vir Scriptt. misc. II. p. 160. illud epigramma ad Bacchum rettulit, praeclare et hoc et alia germanice vertens, cf. Welck. de dram. Satyr. p. 187. p. 235. n.

Eius auctor, Dioscorides, Callimachi fere aetate Alexandriae videtur floruisse; certe non antea, quum ab eo aliud epigramma exstet in Sositheum, poetam ex tragicorum Pleiade: quo epigrammate illa aetate Sophoclem pro praestantissimo in suo genere habitum esse declaratur; accurate autem tempus definiri non potest.[577])

Erucii Clari.

Αἰεί τοι λιπαρῷ ἐπὶ σήματι, δῖε Σοφόκλεις,
 σκηνίτης μαλακοὺς κισσὸς ἄλοιτο πόδας.
αἰεί τοι βούπαισι περιστάζοιτο μελίσσαις
 τύμβος, Ὑμεττείῳ λειβόμενος μέλιτι,
ὥς ἄν τοι ῥείῃ μὲν ἀέννaος Ἀτθίδι δέλτῳ
 κηρὸς, ὑπὸ στεφάνοις δ' αἰὲν ἔχῃς πλοκάμους.

In nitido tumulo semper tibi, dive Sophocles,
 Mollia contineant membra hederae tragicae,
Semper et abs apibus tuus irroretur Hymetti
 Mellibus infusus praecipuis tumulus,
Profluat usque vigens tabula tibi ut Atthide cera,
 Semper et in sertis caesariem teneas.

Auctor huius epigrammatis, Erucius Clarus, tempore Gellii iuvenis praefectus urbi et bis consul fuit, homo morum et literarum veterum studiosissimus, amicus Apollinaris Sulpicii, grammatici, qui praeceptor Gellii eiusque aetatis vir doctissimus fuit.[578]) Ipsum epigramma legitur Anthol. t. II. p. 298. XIII.

Statilii Flacci.

Οἰδίποδες δισσοί σε καὶ Ἠλέκτρα βαρύμηνις,
 καὶ δείπνοις ἐλαθεὶς Ἀτρέος Ἥλιος.

---

577) cf. Vossius de histor. Gr. III. p. 359. s. v. Iacobs. Anth. VII. p. 396.

578) cf. Gell. N. A. VI. 6. XIII. 16. 2.

ἄλλα τε κουλυκαθέσσι, Σοφόκλεες, ἀμφὶ τυράννοις.
ἄξια τῆς Βρομίου βύβλα χοροιτυκίης,
ταγὸν ἐπὶ τραγικοῖο κατήνεσσαν θιάσοιο,
αὐτοῖς ἡρώων φθεγγόμενον στόμασιν.

Oedipodes gemini atque Electrae animus gravis ira,
Phoebusque Atreis territus ipse epulis,
Cetera multaque de perpessis magna tyrannis
Carmina digna choris, te Sophoclem, Bromiis
Praefectum tragicae proclamavere catervae,
Vocibus heroum qui caneres propriis.

Legitur Anthol. t. II. p. 264. IX. Auctor qualis fuerit et quando vixerit ignotum est. [579] **Nomen, a plurimis falso Statylius scriptum, videtur Romanum significare. Statilius enim est a Statius, sicut Manilius, Lucilius, alia, a Manius, Lucius, aliis.**

Anonymi.

Βωμοὺς τούσδε θεοῖς Σοφοκλῆς ἱδρύσατο πρῶτος,
ὃς πλεῖστον Μούσης εἶχε κλέος τραγικῆς.

Exstruxit Sophocles dis haec altaria primus,
Qui plurimam Musae fert gloriam tragicae.

Legitur Anthol. t. III. p. 180. CLIII. —

Duo millia annorum Ovidii [580] **vaticinium comprobaverunt, duo millia probabunt:**

Nulla Sophocleo veniet iactura cothurno.

---

579) cf. Schoell. hist. Gr. liter. vers. Pinder. 1828. t. III. p. 33.
580) Amor. I. 15. 15.

TYPIS NIETACKIANIS.

Errata.

p. 13. l. 21. p. 92. l. 30. p. 98. l. 26. lege I. 3. pro I. 2.
p. 15. l. 25. lege exord.
p. 71. l. 3. lege ἐξεῦρεν·
p. 89. l. 27. lege aliquanto.
p. 177. Numeri notarum 543 et 544 bis positi sunt.
p. 110. l. 2. lege po-tuit.
p. 113. l. 10. lege appellaretur.
p. 114. l. 16. lege οὖτε et γοῦν.
p. 119. l. 4. lege Γναθαίναν.
p. 122. l. 19. lege nosse pro esse.
p. 129. delenda sunt quaedam verba bis posita.
p. 143. l. 29. lege Wellauer.
p. 152. l. 16. lege suf-focatum.
p. 154. l. 3. lege Diodorus tradit.
p. 156. l. 16. lege apparet.
p. 175. l. 18. lege eum pro cum.

Praeterea passim expressum est Cf. et cf., nuntius et nuncius, poëta et poeta; et fortasse alia quaedam, quae qua ratione placebit benevolus lector corriget.

p. 162. l. 8. addendum:

Ipsum vero monumentum hoc epigrammate ornatum fuit:

Κρύπτω τῷδε τάφῳ Σοφοκλῆν πρωτεῖα λαβόντα
τῇ τραγικῇ τέχνῃ σχῆμα τὸ σεμνότατον.
Hoc tego sub tumulo signum venerabile semper,
Artis qui tragicae prima tulit, Sophoclem.